Verſ.: Pyrrhus de Varille

COMPENDIUM POLITICUM

Seu

BREVIS DISSERTATIO

De

Varijs Poloni Imperij vicibus

In qua

Reipublicæ ſive Libertatis, necnon in Comitiis Vetandi Juris Origo, Progreſſus, & Status præſens, novâ methodo inquiruntur, & ad calculum usque deſcribuntur.

ANNO DOMINI 1760.

VARSAVIÆ

Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio Regio *Scholarum Piarum*.

A D

Inclytæ Gentis Polonæ

Equeſtrem Ordinem.

Equites Nobiliſſimi.

FElici quâdam rerum ſerie Celſiſſimorum præfuturus Sanguſzkonum Principum inſtitutioni à quinque propè annis in Poloniam vocatus, quidquid ab externo pro ſorte ſua expetendum eſt, in ipſo libertatis gremio & hoſpitalitatis ſinu expertum me gratâ animi recordatione fateor.

Veſtrâ igitur, Equites Nobiliſſimi, humanitate accenſus & benevolentiâ, omnia mihi tentanda judicavi, quò laboribus & obſequiis gratitudinis apicem meæ adæquare valerem. Veſtræ cupido gloriæ, Veſtræ me ſtudium utilitatis, corde, ut ita dicam, concivem veſtrum præſtitit, &

quam benigniſſimam ſenſi Gentem, eam præoptavi feliciſſimam.

Novus exinde in inſtituendis illis Principibus inceſſit ardor; ampliоremque aggreſſus Provinciam, publicum reſpexi bonum, & Patriæ ſalutem. Jam parum feciſſe me arbitratus ſum, ſi pietate inſignes, morum candore conſpicui, litteriſque exculti Sanguſzkones nominis ſui ubique memores eſſent, avitisque exornarentur virtutibus, ſed eos generoſiſſimæ nobilitati natos & Reipublicæ ratus, Equeſtris præſertim amantes Ordinis, veræque magnanimos libertatis aſſertores vobis parare, & fovere mens fuit.

Quo faciliùs eorum animum ab externis avocarem moribus, & in publicum flecterem bonum, legumque curam, inter Cives ſuos diutiùs eos detinendos ſenſi, & ſic diſponente Celſiſſimâ Principe Matre, cujus Nomen virtus & gloria ſubſequuntur, eorum in longinquas Regiones diſceſſus adhuc protenditur. Arcana interim Imperij Gentisque veſtræ ideò ſcrutatus ſum, ut quà poteram, & operæ pretium erat, præ cæteris omnibus Patriæ jura, & Leges cognoſcerent, publicaque generoſiùs capeſſerent negotia.

Nunc verò, Equites Nobiliſſimi, cùm annis

nis animiſque jam firmioribus ad exteras Gentes, ſuæ & Reipublicæ utilitatis causâ, properaturi ſint, urget me benignitatis veſtræ memoria, æquasque expoſtulat grates, antequam cuſtos itineris eorum & comes è medio veſtri exeam, fatis ſupervenientibus fortaſſe non rediturus. Quamobrem dum ſupereſt ætas diu mecum agitavi, quid quantulo mihi in Polonæ juventutis commodum conferre fas eſſet. Omnibus tandem ſeriò ponderatis, non ingratum vobis fore auſpicatus ſum, ſi novâ methodô Reipublicæ veſtræ Hiſtoriam conſcriberem.

Diverſimode enim uniuscujusque Gentis Hiſtoria tractari poteſt: vel omnes amplectendo Imperij Partes, eas ſimul juxta temporum ſeriem percurrunt Hiſtorici; vel unam tantum ſeligunt, & quidquid ad illam referri poteſt, hinc illinc colligunt ſparſum, ut pars illa accuratiùs cognoſcatur. Alij explanandis antiquitatibus ſuam impendunt curam: Religionem alij & ſacra inquirunt: antiquos hi mores & recentes ſcriptis ſuis proſequuntur. Jlli ſcientiis & artibus incumbunt; Leges alij ſcrutantur: Bella denique alij ſibi deſcribenda proponunt.

Quoniam verò, Equites Nobiliſſimi, unus-

unusquisque vestrum supremi in Polonia Imperij particeps est; cæteraque ex Regni Constitutione velut ex fonte uberrimo fluunt, in Imperio vestro detegendo totus inhæsi, illiusque vicibus indagandis.

Mihi igitur undequaque res Polonas circumspicienti nihil utiliùs visum est, quam si, pro ingenij mei parte, Comitiorum hucusque originem, variosque eorum progressus investiganda & illustranda susciperem.

Imperij siquidem & legum cognitio præcipua est Poloni Civis scientia. Totam aliundè velut in speculo dilucide sub oculis expandit Reipublicæ compaginem; distinctisque diligenter diversis Imperij vicissitudinibus, ad metam simul temporum certam & facilem Belli Pacisque eventuum congeries reduci potest. Sic uno quasi intuitu integra devolvitur Historia, gravioribusque tantum collectis, exuberanti mens rerum copiâ non prægravatur: in variis quiescit stationibus, & quidquid in singulis censet appetendum, fideli memoriæ mandat. Prudens etenim rerum delectus methodusque recta, duo scientiæ lumina sunt: & male scire turpiùs est, quam ignorare. Quemadmodum, si veterum fas est Philosophorum de mundi primordio sensus revocare, in cæco naturæ

ræ sinu ante orbis partium distributionem Elementa rerum alia alijs permixta torpebant & obscura, tuncque ut narrat Ovidius.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe.

Sic glomeratim in mente nostra congestæ cognitiones antiquum illud referunt chaos. rudemque & indigestam exhibent molem.

Quapropter, Equites Nobilissimi, omnia feci & totis incubui viribus, ut præviâ rationis face, vanôque eruditionis fuco longe prorsùs amotô, totam Historiam Polonam peragrarem indefessô & celeri cursu, eaque tantum excerperem, quæ ad enucleandam Imperij vestri naturam, diversasque Comitiorum vices connotandas inservirent.

Hanc igitur in tres distribuendam Partes existimavi juxta tres Regiminis formas, quas à Lecho ad nostra usque tempora Regnum Polonum obtinuit, *Monarchicam* scilicet, *Aristocraticam*, & *Democraticam*.

Democraticam dico, ut tertiam hanc regiminis formam, Equestrisque Ordinis in Republica superadditam Aristocratiæ auctoritatem designare possim. Nec est cur

vox illa *Democratia* reijcienda videatur; quinimo Gentis Polonæ præſefert excellentiam. Propriam enim juxta & nativam ſuam ſignificationem, ut ex verbis Græcis intelligere eſt, *Demos* & *Archia*, univerſi Populi Imperium indicat. Eô ubique ſenſu accipitur, & accepta eſt ab antiquitate, ut Gentis cujuslibet exprimeret poteſtatem.

Porro tota Gens in Polonia ſola conſtat Nobilitate. Gens enim, ut poſtea fuſiùs comprobabo, nihil aliud eſt quam tota collectio omnium familiarum, æqualis jam aut diverſæ ſortis, quæ in commune bonum mutuamque defenſionem vires ſuas conjunxerunt, propriasque ſibi conſtituerunt leges, quæ ſub legitima libertate ſingulorum Civium vitam, honorem, fortunamque tuerentur, vimque adverſus externam, Patriam propugnarent. Omnes autem Polonorum familiæ Nobiles ſunt, & quidem absque generis diverſitate. Suos ſingulæ habent Cmethones, ſervisque ſuis imperant, qui genti annumerari nequeunt, etſi cōmunem ſpirent auram. Jis tantum Nobilitas Polona, quas condidit, ſubjacet Legibus: ſola conſilia ita peragit publica, ut Nobilis uniuscujusque Civis Libera Vox ea ſiſtere valeat: Sola juris & pænæ

pænæ gaudet æqualitate: nullus Civis niſi Nobilis, aut Nobilitate donatus: fraterno denique ita oblectantur nomine, ut Gentem totam, familiam Nobilem ultrò compellaverim.

Propriè igitur loquendo totus Nobilium numerus *Gens Polona* & *Populus Polonus* vocari poteſt. Nec habet vox illa quod aures offendat vel faſtidioſiſſimas: quandoquidem Res nominis non Rei nomen naturam determinat, nec ex vocabulo, ſed ex ſorte Gentis ponderanda eſt illius dignitas.

Si quid abjectionis hæc obtegiſset denominatio, non illâ ſuperbiiſsent Romani, titulumque proculdubio rejeciſsent Patricii & Equites, qui plebeiam redoleret conditionem. Attamen inæqualitatis gradus agnoſcebant, Poloni verò nullam inter ſe niſi ex dignitatibus ad mentem Legum à Rege collatis admittunt diſtinctionem. Grandiùs igitur ſonat vox illa *Populus Polonus* in meo ſenſu, quam Populus Romanus. Siquidem in Polono ſolam denuntiat nobilitatem, ex qua gens tota coaleſcit.

Præterea Equites Nobiliſſimi, ab Ordinis Veſtri ſupremo jure mihi diſtinguenda erat Senatorum potentia, quæ præceſſerat. Selecti enim Nobiles, ideſt Senatores

tores, vim priùs Legiſlativam cum Regibus exercuerunt; tuncque vera fuit *Ariſtocratia*, ſeu *Optimatum Imperium* juxta Græcam verbi ſignificationem. Cum autem Ordo veſter ad publicam acceſſit adminiſtrationem non jam fuit *Selectio* Nobilium, ſed Collectio totius Nobilitatis, quæ *Ariſtocratia* nuncupari nequit. Cum igitur Nobilitas veſtra totam efficiat gentem, illius Dominatio *Democratia*, digne quidem, cognominanda videtur.

Nec prior hanc admiſi vocem, quam neceſſitas ſuppeditavit. Ut cæteros omittam, præſentem ſubjunctis ordinibus Poloniæ Statum Democratiam appellare non dubitavit Starowolſcius in Polonia ſua *pag.* 246. ut refert Hartknochius de forma Reipublicæ. Cæterum rem altiùs conſiderando, & ſic explanata verbi illius ſignificatione, hoc Nobilitatis Imperii ſignum non tollendum exiſtimo.

Jllud inprimis mentem meam firmat, & fiduciam auget, quod plurimi jam & ſpectatiſſimi in Republica Viri, nec non gloriæ nominis Poloni ſtudioſiſſimi, meæ ultrò ſententiæ adhæſerint. Denique, quod mihi maximum eſt, Reverendiſſimi Patris Konarſcii celeberrimi & eruditiſſimi Viri non ſine prolatis authoribus, Judiciô fre-

tus

tus & aſſenſu, appellationem hanc non iniquè accipiendam confido.

His autem formis pro rerum varietate in paucas ſpecies diviſis, Regiam Dignitatem, Conditionem Senatûs, Equeſtrisque Ordinis ſortem attentione ſummâ in ſingulis extrahere, & adumbrare conatus ſum.

Septem deinde Supremæ Regum authoritatis jura percurrendo, in unaquaque Imperij formarum ſpecie ſucceſſivos Privilegiorum & libertatis gradus exhibeo. Hæc mea quidem eſt præcipua cura; attamen nihil de Pace & Bello prætermittendum cenſui: & quidquid grave aut ſcitu dignum Hiſtoria narrat, in mea diſſertatione locum invenit, etſi compendioſiſſimâ.

Ut quæ dicendo explanaveram, faciliùs adhuc & comptiùs oculis ſubijcerem, minusque ſtudioſis conſulerem & memoriæ, totam operis mei diſtributionem & æconomiam brevibus novem exaravi tabellis. Sic vel ab exordio uno temporis puncto, ictuque oculi vel leviſſimo ſingulæ introſpiciuntur Reipublicæ partes, totiusque Imperii Poloni, ut ita dicam, membra delineantur.

1*ma* Tabula Chronologicam Hiſtoriæ Politicæ in tres ſupradictas regiminis formas diviſionem complectitur.

2*da*.

2*da*. Integram Regum Polonorum seriem sub unaquaque Imperii forma distinctam describit.

3*tia*. Regiis septem Juribus sensim decrescentibus, Libertatem successivè hucusque depingit invalescentem.

4*ta*. Communia quatuor supremæ auctoritatis munia percurrendo, uniuscujusque species subjectas enumerat.

5*ta*. Novam Rei Militaris juxta Constitutionem Anni 1717. tum Regni, tum Magni Lithvaniæ Ducatûs, revocat ordinationem.

6*ta* Varia tributa & Vectigalia in Regno, & in Magno Lithvaniæ Ducatu juxta eandem Constitutionem distinguendo, ærarii Publici summam exhibet.

7*ma*. Ex præcipuis foederibus, pactis, conventis, & Constitutionibus Juris Publici fontes indicat recentiores.

8*va*. Regni & Lithvaniæ diversi Nominis Senatores recensendo, terrestresque Legatos, *Consiliariorum* Reipublicæ in Comitiis numerum segregatim & collective computat.

9*na*. Denique tabula ad pleniorem historiæ intelligentiam, ab Anno 1360. sub CASIMIRO Magno ad Annum 1760. sub AUGUSTO III. Regnante, Externos Re-

ges

ges Poloniæ Regum Coævos, & tunc temporis in Europa potentiores denominat.

Cæterum in omnibus undique assequendam mihi proposui veritatem, sed amicam semper, & necessariam, non acerbam aut invidiosam.

Cum autem in perlegendis variis authoribus nihil mihi graviùs fuerit, quam ista rerum omnium confusio, ea tantum effodienda elaboravi, quæ præstantiora videbantur, aut ad delineandam Regiminis formam pertinebant.

Quæ cum tot voluminibus amplitudine verendis obruta jacerent, eò majorem in dicendo nitorem clarioremque in rebus ordinandis methodum exquisivi, quò rapido magis & strictiori discursu ea sumpseram enarranda. Hanc igitur legem constanter observavi, ut rerum abundantia & diversitas, brevitasque sermonis nunquam intelligentiæ obsicerent, sed ut potiùs ex illa brevitate omnia ubique clariora, faciliùsque obvia menti carperentur, & magis splendescerent.

Qualemcunque igitur, Equites Nobilissimi, laborem meum Ordo vester benignè excipiat, meamque Felicitati suæ devotam agnoscat mentem. Siquâ autem parte invitus erraverim, externo mihi er-

ran-

ranti ignoſcendum memineritis. Veniam deprecor, nec immeritò: quantum curæ vigiliarumque impenderim, vel leviſſimè attendenti palam fiet. Alias quidem vires, aliud ingenij acumen res ipſa poſtulabat; Sed ſi tanto me imparem oneri fateor, nulli calamo obſequioſiori, nulli celebratiſſimæ Nobilitatis veſtræ animo obſervantiori committi potuit. Opus hoc ſumma mea in vos excogitavit gratitudo, perfecit & dedicat amor: ex corde igitur, non ex ſucceſsu judicandus ſum.

Quinimo vel intentatis hucusque viribus in commune bonum Romanâ dicere lingvâ non dubitavi. Laborioſum me cura veſtri fecit & eloquentem. In obſequii mei teſtificationem majora tentabo, ſi fata ſinant. Quod in promptu eſt, munuſculum meum offero; non leve quidem, ſi toti Polonæ Genti comprobaverit, quâ fide, quâ obſervantiâ, quâ veneratione ad extremum usque ſpiritum futurus ſim Equites Nobiliſſimi

GENEROSISSIMI ORDINIS VESTRI

Humillimus, dediciſſimus & devinctiſſimus Servus.

PYRRHYS à VARILLÆO
Eques Gallus.

PRÆ-

TAB. I.

TABULA CHRONOLOGICA
HISTORIÆ POLONÆ POLITICÆ.

Variæ Regiminis Formæ	Species Formarum	Annus quo cœpit	Princeps Regnans	Annus quo desiit	Princeps Regnans	Ætas Specierum	Summa Totalis
Monarchia	Ducalis	550	Lechus	1000	Boleslaus Chrobri	450	786
	Regia	1000	Boleslaus I. seu Chrobri	1336	Casimirus Magnus	336	
Aristocratia sub	Privilegiis	1336	Casimirus Magnus	1386	Jagello	50	118
	Libertate	1386	Jagello seu Vladislaus II.	1454	Casimirus IV.	68	
Democratia sub Votorum	Pluralitate	1454	Casimirus IV.	1536	Sigismundus I.	82	306
	Paucitate	1536	Sigismundus I.	1652	Joannes Casimirus	116	
	Unanimitate	1652	Joannes Casimirus	stat adhuc anno 1760	Augustus III. Impleat Nestoris Annos	108	

Tota Series Historiæ Polonæ Politicæ continet Annos 1210.

TAB. II.

TABULA
REGUM POLONORUM
SUB
TRIBUS IMPERII SPECIEBUS.

Series Regum ſub Monarchiâ.

Ducali ſeu Pagana	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*	Regia ſeu Chriſtiana	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*
Lechus - - -	550		Boleslaus Chrobri *I Rex Poloniæ, Palatinos & Caſtellanos inſtituit, & rem militarem ordinavit.*	1000	
Ejus Nominis Succeſſores & 12 Palatini	- -	150			
Cracus - - -	700		Miecislaus II	1025	
Venda - - -			Caſimirus I *tonſi crines in Coronam.*	1041	
12 Palatini -					
Leſcus I.			Boleslaus Audax *titulum Regis amittit.*	1059	336
Leſcus II.	- -	142	Vladislaus I *provincias regni diviſit inter filios.*	1082	
Leſcus III.					
Popielus I.			Boleslaus Krzywoufty *iterum regnum diviſit*	1103	
Popielus II.					
			Vladislaus II	1140	
			Boleslaus Criſpus	1146	
Piaſtus - - -	842		Miecislaus Senex	1174	
			Caſimirus juſtus	1178	
Ziemovitus -	861		Leſcus albus	1195	
			Boleslaus Pudicus	1226	
Leſcus IV. -	892		Leſcus niger	1279	
			Premislaus	1295	
Ziemomislus -	913	158	Venceslaus *Rex Bohemiæ & Poloniæ*	1296	
Miecislaus I. - *Dux Chriſtianus*	964		Vladislaus locticus	1305	
Boleslaus Chrobry *Dux tantum per 8 annos*	992		Caſimirus Magnus *Monarcha per 3 annos.*	1333	
		450			

Series Regum ſub Ariſtocratiâ.

Sub Privilegiis	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*	Sub Libertate	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*
			Mortuo Ludovico *vera Libertas fuit anno* 1382		
Caſimirus Magnus *à tribus jam annis regnaverat, cum Viſgardienſem Tractatum, ſic expoſtulantibus Crucigeris, Senatorum auctoritate firmari curavit; ſicque eos primum pacis fecit arbitros.*	1336	50	*Per 4 annos Interregni liber Senatus de eligendo Rege conſultavit, & de inſtituendâ Imperii formâ.*		68
			Tandem ſtatutis, quas voluerunt conditionibus, Senatores Jagellonem *Supremum Lithuaniæ Ducem Poloniæ Regem renuntiaverunt.*		
Ludovicus Hungariæ Rex, *regnante adhuc* Caſimiro *avunculo ſuo, in ſpem Regni Poloniæ omnia fere Polonis tributa remiſit.*	1370		Jagello ſeu Vladislaus II *conventus particulares inſtituit anno* 1404	1386	
			Vladislaus III	1434	
			Caſimirus IV	1447	

Series Regum ſub Democratiâ.

Sub votorum Pluralitate	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*	Sub votorum Paucitate	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*	Sub votorum Unanimitate	*Initium Regnorum*	*Ætas Dynaſtiæ*
Caſimirus IV *VII regni ſui anno Palatinatuum Legatis & terrarum votandi Jus in Comitiis, & ſtatuendi permiſit.*	1454		Sigismundo I *ab annis XXIX regnante votorum in Comitiis violari cœpit pluralitas; minorque nuntiorum numerus Conſilia ſolvit publica.*	1536		*Vix à quatuor annis regnaverat* Joannes Caſimirus, *cum Comitia Varſaviæ convocata, difficillimis quidem Reipublicæ temporibus, unius Nuntii* Upicenſis *terræ in Lithuaniâ,* Siczynscii *nomine, cœteris eum Diris devoventibus, abrupta ſunt.*	1652	
Sic, 50 annos poſt inſtituta à Jagellone *Comitiola, prima vice per nuntios ſuos Nobilitas de Rebus publicis cognovit*		82	*Attamen quæ ante contradictionem eorum & diſceſſum, pluralitate ſtatuta fuerant, vim Legis obtinebant.*		116	*Ex illo tempore prævaluit* Unanimitas, *unoque Cive ſic imperante, conſilio & auxiliis orbatur Reſpublica.*		108
			Sigismundus II Auguſtus cognomine	1548				
Joannes Albertus	1492		Henricus Valeſius	1573		Michael Korybutus	1668	
Alexander	1501		Stephanus Bathoreus	1575		Joannes Sobiescius	1674	
Sigismundus I per 30 annos	1507		Sigismundus III	1587		Auguſtus II	1697	
			Vladislaus IV	1632		Auguſtus III Regnans hoc anno 1760	1733	
			Joannes Caſimirus	1648				

TAB. III.

TABULA POLITICA
LIBERTATIS POLONÆ
EXORTÆ
EX SEPTEM MONARCHIÆ JURIUM
SUCCESSIVA IMMUTATIONE

A LECHO Anno 550

AD

AUGUSTUM III Anno 1760

Sub

	Monarchiâ *per* 786 *annos* *à Lecho* *ad Casimirum Magnum*	Aristocratiâ *per* 118 *an.* *à Casimiro magno* *ad Casimirum IV*	Democratiâ *per* 306 *an.* *à Casimiro IV.* *ad Augustum III.*
VII Jura Regia	Integerrima	Communicata Senatui	Suprema in Gente
Jus Successionis	Hæreditarium	Ex hæredibus Electivum	Libera Electio
Jus Legislationis	Arbitrarium	Senatu Comprobante	Dictante Equestri ordine, Rege & Senatu Comprobante.
Jus Judiciorum	Plenissimum	Consulto Senatu	Penes Equestrem Ordinem
Jus Armorum	Absolutum	Senatu tributa ordinante, Nobilitate assentiente	Bellum & tributa Comitiis Decernentibus
Jus Ærarii	Amplissimum	Exemptio à tributis omnibus. Præfecturarum alienatio.	Ærarium Duplex Regis & Regni
Jus Dignitatum Bonorum honorum	Voluntarium	Collatio Restricta. Concessa non retinenda. Collata non auferenda.	Cuncta ad Legum mentem Conferenda
Jus Convocationis	Liberrimum	Loco & tempore jam præscripto	Varia Consilia juxta Constitutiones Convocanda

IV. TAB.

TABULA GENERALIS
SUMMI IMPERII REIPUBLICÆ POLONÆ
JUXTA
QUATUOR SUPREMÆ AUCTORITATIS
MUNIA COMMUNIA.

Legiſlatio

Ordines	REX	
	Senatus	Equeſter ordo
Conſilia Reipublicæ	*Comitia*	Convocationis
		Electionis
		Coronationis
		Ordinaria
		Extraordinaria
	Confœderatio	
	Magnum Conſilium	
	Senatûs Conſilium	
	Conſilium Bellicum	
	Conſilium Ærarii	
	Comitiola	

Juriſdictio

	Comitiorum
	Relationnm
	REGNI & LITHUANIÆ Suprema.
Tribunalia	Theſauri
	Aſſeſſorialium
	Mareſchalcorum
	Supremi Ducis
	Theſaurariorum
	Caſtrorum
	Terrarum
	Eccleſiaſticorum
	Palatinorum
	Camerariorum
	Confinium
	Urbium

Militia

Polona		*Lithuana*	
Equitatus	*Equites*	*Equitatus*	*Equites*
Huſſari - - - -	1000	Huſſari - - - -	400
Pancernæ - - -	3990	Petyori - - - -	1200
Tartari - - - -	1000	Tartari - - - -	400
Dragones - - -	4000	Coſaci - - - -	300
		Dragones - - -	1500
Summa	9990	Summa	3800
Peditatus	*Pedites*	*Peditatus*	*Pedites*
Pedites - - - -	6750	Pedites - - - -	1850
Artilleriſtæ - -	850	Artilleriſtæ - -	150
Hungari - - -	400	Janiſſarii - - -	400
Summa	8000	Summa	2400

Summa Exercitûs Poloni	17990	M.
Stipendia illius Exercitûs	5004280	Fl.
Summa Exercitûs Lithuani	6100	M.
Stipendia illius Exercitûs	1726000	Fl.

NB. *Nova Legio Pedeſtris* Lanova *nomine inſtituta eſt in Comitiis anni* 1726 *quæ* 569 *conſtat militibus.*

Ærarium

Polonum | *Lithuanum*

A Lecho ad Sigismundum III. Ærarium Publicum ab Ærario Regio non diverſum erat. Vtriusque Reges ad Ludovicum erant arbitri & tributa vectigaliaque, ſicut poſſeſſiones ſuas, pro nutu diſpenſabant. Sed a Ludovico ad noſtra uſque tempora a Regibus tributa non imperantur; at in varios Reipublicæ uſus, à Senatu primùm cum Rege, tandem a Junctis Ordinibus decernuntur.

Quamobrem anno 1589 *ſub Sigismundo III nimiâ Regum profuſione, & quandoque rerum neceſſitate exhauſta menſæ Regiæ bona, in Regno & in Lithuania de novo compoſita ſunt. Tum duplex fuit Ærarium Regis & Reipublicæ. Hoc autem ab anno* 1717 *conſtat ex tributis & vectigalibus infrà numeratis.*

Impoſita	*Anno*	*Impoſita*	*Anno*
Capitatio - - -	1520		
Vetus Quarta -	1562	Vectigal Generale	1661
Nova Quarta -	1633	Auctio illius - -	1717
Hybernæ - - -	1649	Hybernæ - - -	1652
Capitatio Judæorum	1661	Fumale - - -	1629
Doliarium - - -	1629	Potulenta - - -	1520
Acciſa - - - -	1658	Mercatorium - -	1628
Inductio & Evectio	1596	Capitatio Judæorum	1661

PRAEVIA
DE ORIGINE NATIONUM VARIISQUE IMPERIJ SPECIEBUS
DISSERTATIO.

ANtequam Politicam Poloniæ Historiam aggrediar, non abs re alienum videbitur, ſi priùs nonnulla retulerim de civilis exordio ſocietatis, & conſequenter de varijs Imperij generibus. Rectiùs exinde omnia à principiis deducemus, & quaſi Theſeô filô totum breviter percurremus humanæ vitæ ſyſtema.

Homo liber natus eſt, & ab omni immunis jugo. Sed ea eſt illius natura & indoles, ut ſua illa nativa libertas, ſuum in

cuncta æquale dominium veræ ipsius non congruant felicitati. Pro sua enim imbecillitate, egestate rerum, animique propensione in similes suos, hominis homini societas necessaria est. Sed nedum in illa felix esset, perenni bello & discordiâ agitaretur, si totam suam in civili statu servaret libertatem, totumque Dominium suum retineret.

Sui siquidem juris natus, corpore finitus & mente, idemque sensibilis, ambitioni, erroribus, cupiditatibusque est obnoxius. In societate autem, *Humanitatis* inter & *æquitatis* cancellos detinetur: Supremo suo in omnia jure cedit, & ad quorundam tantum *proprietatem* restringitur. *Superiores* agnoscit, æquales habet, & inferiores. Inde varia officiorum munia.

Si omnes rectè saperent, nec turbidi animorum motus naturale obtunderent lumen, auream illam Poëtarum ætatem reducerent homines, securique semper & pacati inter se viverent sub solo *conscientiæ* imperio. Sed cum *tot capita, tot sensus*, parique numerô sint variæ animi affectiones ac configurationes vultuum; homini regendo sola ratio est impar: huc illuc vel invitum abripit *cupiditas*; frenoque & authoritate legum indigèt, quæ effer-

effervescentem illius animum intra legitimos fines coerceant.

Initâ enim & compositâ societate, *duplex* nascitur inter homines *distinctio*, *Naturalis* scilicet & *Civilis*. Prima unicuique nostrum propria est, quæ nempe dimanat à *corporis præstantia, dotibus ingenij, animique virtutibus*; alteram nobis largitur societas *dignitatibus, Nobilitate*, & *opibus*. Externæ hæc condecorationis insignia ideò censuit societas proponenda, quò magis honoris claritate, illustratique celebritate nominis, humana virtuti inhæreret ambitio. Si rectæ igitur rationi, ipsique Imperiorum bono consuleretur, ista distinctio *civilis* adhuc *naturalis* pretium esset, qualiter revera priscis fuit temporibus. Ex illa autem conventa cohonestatione, nata est conditionum diversitas & Hierarchia, quæ unius societatis cives in varias distribuit classes, quibus constat & clarescit tota humanæ vitæ œconomia.

In illa verò civili societate tria potissimum sub legitima libertate servanda sunt *Honor, vita, & fortuna*. Sed absque legibus, nedum illa secura forent, arrogantiæ, crudelitati, & avaritiæ essent ludibrio; & quanta sint anarchiæ, id est effrenatæ libertatis, seu potiùs exitiosæ licentiæ mala,

 satis

ſatis omnium ſæculorum & Regionum Hiſtoria comprobat.

Primorum igitur hominum familiæ totidem civiles fuêre ſocietates, quarum authoritas, ſapientia, & Paterna Ducis bonitas Pacem firmabat & felicitatem. Excreſcente deinde humano genere, familiæ iſtæ numeroſiores in varias catervas abiêre; ſervatoque cognationis & amicitiæ gradu, plures in unam Gentem coaluerunt, ſedem ſibi propriam elegêre, & in commune bonum, mutuamque defenſionem vires ſuas conjunxerunt.

Talis eſt origo *Nationum & Populorum.* Ex variis autem Familiarum conjunctionibus ſeu populis, jus Gentium ortum eſt; quo ſcilicet ſingulæ Gentes ſeſe invicem venerari debent, & in mutuam utilitatem communia æquitatis jura inter ſe ſervanda ſtatuerunt.

Ex terrarum inter nationes & inter cives diviſione, exorta eſt duplex *Propietas*; *Patriæ* ſcilicet inter populos, & *Bonorum* inter cives: ex illâ denique duplici proprietate diverſis reſpectibus, nata ſunt *lis* & *bellum.*

Variæ igitur primo illæ nationes, ex diverſis ſic conflatæ Familiis, ſibi jura legesque conſtituerunt; ut Patriæ ſuæ, ſeu

ſeu ſedis quam elegerant, Proprietatem, ſeu fines, adversùs exteros tuerentur, ſingulisque ſimul concivibus ſuis privata bona aſſererent. Hæc eſt duplex apud univerſas Gentes Legum omnium cauſa, munusque commune.

Quoniam autem ſupervacaneæ ſunt leges ſine authoritate, quod ſibi magis placuit, aut magis congruum ſuæ Genti viſum eſt, ſummum Populi ſtatuerunt Imperium. Alij Patribus familiarum, ex quibus Natio conſtabat, ſupremam remiſerunt poteſtatem; ſicque conſtituerunt *Ariſtocratiam.* Alij cunctis Civibus in communi ſocietatem tradiderunt adminiſtrandam, & *Democratiam*, prætulerunt. Alij denique unum maluerunt Dominum; Sapientiſſimumque & præſtantiſſimum virtutibus civem votorum pluralitate Regem renunciaverunt; ſicque *Monarchiam* condidêre.

Hinc nata eſt triplex *Dominationis* ſpecies, quarum ſingula primæva dici poteſt & naturalis; quandoquidem ex tribus illis ſpeciebus cæteræ fluunt, ut infiniti prope numero colores ex nativis ſeptem permiſcentur.

Cum verò in cunctis rebus creatis Imago Divinitatis & Omnipotentia depingatur,

tur, Bonorumque *cupiditas*, aut malorum *timor* hominum ubique & ſemper vota precesque ad Deum intenderit, qualemcunque cognoverint; unuſquisque Dominatus ad duas extenditur Partes: *Sacerdotium* nempe, & *Imperium*. Jllud Fidem, Pietatem & cultum Religionis edocet & imperat; Hoc autem ſæcularibus præeſt rebus, humanamque componit & ordinat ſocietatem.

In Religione igitur quâvis, tria inſpicienda ſunt, *Dogma*, *moralis*, & *actus publici*, ſive *exteriores ceremoniæ*. At in Imperio duo tantum generatim conſideranda *Pax* & *Bellum*. In pace quatuor præſertim ſibi proponit Imperium; ſcilicet: Boni publici conſervationem, ſeu juſtitiæ diſtributionem inter cives, Directionem & extenſionem commercij, & denique artium promotionem & ſcientiarum. At in bello duo tantum ſalutem Gentis, & gloriam proſpicit.

Ex varijs illis Imperij muneribus, jura ſeptem generalia in quovis ſtatu ſummæ tribuuntur authoritati. 1*mo* Electio aut ſucceſſio Principatûs. 2*do* Jus armorum. 3*tio* Jus legum ferendarum. 4*to*. Judiciorum potentia. 5*to* Ærarij publici vis & diſpoſitio. 6*to* Collatio Dignitatum, Hono-

Honorum & Bonorum. 7*mo* tandem Nationis jus convocandæ.

Hæc eſt integra Dominatûs cujuslibet oeconomia. Sed cum unaquæque Natio ſibi leges priùs impoſuerit, antequam proprium ſibi Imperium eligeret; planum eſt & apertum Reges, aut Supremos Magiſtratus, Legum potiùs *Miniſtros* fuiſſe, quam civium *Dominos*. Ea enim tantum mente à liberis Gentibus ſumma eis credita eſt authoritas, ut legibus æqua poteſtate firmatis, publico & privato invigilarent bono, aut armorum vi hoſtes propellerent.

Sic ergo inſtituta eſt humana ſocietas, ut homini libero & male cupiditatibus indulgenti, rectæ dictamina rationis leges præſcriberent, Legumque Imperio vel ſuprema pareret authoritas, earum mandata imperans exequenda. Lex enim publica eſt voluntas, & ſuprema Gentis ratio. Exinde nulla profecto eſt Legitima poteſtas iſti adverſa rationi, Legibuſque ſuperior, ſi fatalem & duram exceperis *neceſſitatem*, quæ cuncta ſolvit civilis Societatis vincula.

Longe igitur à ſermone noſtro & imperiorum enumeratione abſit mera illa, ſi qua eſt Tyrannis, quæ ſolo unius voluntatis arbitrio, abſque ullo legum moderamine, totam permittit Gentem.

Porten-

Portentum quoddam eſt in ſocietate civili, Divinis æque ac humanis legibus inviſum. Furore ſolo & audacia natum eſt illud Imperium, vi ſola retinetur. Nullæ leges, nullum juris vinculum eſt tyrannum inter & nationem. Timet,& timetur Princeps, & cum præ crudelitatis tantum formidine inſerviant populi, extincto aut expulſo Tyranno, jus humanitatis eorum abrumpit ſervitutem. Ingemebat oppreſſa Natio; data occaſione non immerito reſurgit; & quidquid Machiaveliſtæ in Tyrannidis gratiam effutiverint, humano Generi legibus obtemperandum eſt, non furori & cupiditatibus imperantis.

Non idem ſentiendum de Principibus, qui victricibus armis populos ſuo ſubmittunt Imperio. Legitimi fiunt eorum Domini, ſi ferro devictos æquis poſtea legibus gubernant. Sed hic interrita mente contendimus,nullam legitimam eſſe ſupremam poteſtatem, abſque pactis ratione conventis Regem inter & ſubditos. Sunt omnium Gentium jura primæva, quæ Principi violare nefas, quibuſque,natura ita dictante, aut ſtat, aut ruit illius Imperium.

His quaſi ſacro nexu, & amoris vinculo Rex ſuis ſubditis, & ſuo ſubditi Domino mutua lege junguntur. Ex diverſita-

te autem conventionum Principem inter & populos. Monarchiarum diſtingvitur diverſitas. Eò major eſt Regis potentia, propiùsque ad arbitrariam accedit, quò plura de juribus ſuis ceſſit Natio, aut latiùs Princeps ſupremæ poteſtatis uſum extendit; eò verò minor eſt, quo Gens jugi magis impatiens ſtrictioribus eam circumſcripſit legibus, fortiùsque ſemper ſuam vindicavit libertatem: *quæ*, ut ait Pòéta, *nunquam gratior extat, quam ſub Rege pio*, id eſt: ſubditorum & legum amico.

Hæc eſt vera & genuina Regnorum, & Rerum publicarum Origo; & niſi ſublato penitus jure naturali, nunquam vis & crudelitas iniquum Dominium legitimabunt.

HISTORIA POLITICA
SEU
COMPENDIOSA DISSERTATIO
DE
VARIIS POLONI IMPERIJ
VICIBUS.

EX cunctis prorſus Europæ populis intactam magis & diutiùs integram, vel ſub Regum Imperio, Poloni ſuam ſervarunt libertatem; Peſſimum ex malis abſque freno, eamdemque omnium Belli & Pacis virtutum, ſub legum tutela, fontem puriſſimum. Generoſa ſiquidem Gentis hujus, & innata magnanimitas proſtratam ſemper exoſa eſt ſervitutem; mediaque illam inter & effrenatam licentiam, aut vitia Principum ſuorum benigna tolerabat, aut eos animosè inculpando, flectebat in melius.

Sed, ſicut fama *vires acquirit eundo*, libertas quoque Polona medietatem illam paulatim deſpexit, & ſubacta Regum ambitione, Dux ſola Polonis facta eſt. Ut Cæſar olim, dum ſumma rerum appeteret, nihil

nihil actum reputabat, ſi quid ſupereſſet agendum; ſic Póloni nihil inexpertum reliquerunt, quò pleniùs indulgerent libertati. Si quis enim Hiſtoriam eorum, diverſaſque Regni commotiones perſpicaci & ſedula mente perpenderit, inverſi Regiminis ubique ſentiet cauſam fuiſſe libertatem; urgenteque in dies amore illius, præſentem Reipublicæ ſtatum ex Monarchia, Ariſtocratiâ, & Democratiâ ſingularem in modum coaluiſſe facile recognoſcet.

Primis enimverò temporibus, regnantium familiarum extinctione, ſummam ſæpenumero Primores inter ſe partiti ſunt authoritatem, aut ad nutum ſuum contulerunt. Provinciarum deinde Regni inter Regum Filios ſub Regibus Chriſtianis diviſione, Regiarumque largitionibus poſſeſſionum, immunitatibuſque & Privilegiis conceſſis, Regia ſenſim debilitata eſt potentia. Exinde numero & opibus Magnatum plus æquo excreſcentibus, eorumque ambitione jam freni & legum impatiente, Primus Ordo Nobilitatis, diviſo cum Regibus Imperio, regnavit; & tandem eadem acti ſupremæ poteſtatis cupiditate Equites, Regem & Primores è ſolio quodammodo detruſerunt, & unicum ſpecie

cie excogitaverunt Imperium ex tribus illis Dominationis Generibus conflatum, quæ juſta Philoſophi vocant & naturalia. Hic igitur tres illas publicæ adminiſtrationis formas, ſucceſſivaſque facies ex ordine proſequemur, ut præſens rerum conditio meliùs pateat, ſubque Regiæ Majeſtatis ſplendore & pompa, liberrimam detegamus Rempublicam.

PARS PRIMA.
DE
MONARCHIA.

HIſtoria Polona, quæ à LECHO Primo Polonorum Principe ad AUGUSTUM III. feliciter nunc regnantem, mille ducentos & decem annos continet, vulgò in quatuor partes generales, ſeu Epocas, dividitur.

Prima *Lechi* ſeu *Poloniæ Ducum* Ducentos nonaginta & duos annos complectitur, à Lecho uſque ad mortem Popieli II.; id eſt ab Anno Nativitatis Chriſti Quingenteſimo quinquageſimo, ad Annum octin-

octingenteſimum quadrageſimum ſecundum.

Secunda *Piaſtidarum*, ſeu *Regum*, quæ extenditur à Piaſto ad uſque mortem Ludovici Hungariæ ſimul & Poloniæ Regis; ab Anno ſcilicet octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ad Annum milleſimum trecenteſimum octogeſimum ſecundum; & quingentos quadraginta annos involvit.

Tertia *Jagellonidum*, ſive *Electionis ſucceſſivæ*, quæ à Jagellone ad Sigismundi Auguſti mortem anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, centum & nonaginta annos atque unum comprehendit.

Quarta *Henrici Valeſij*, ſeu *Pactorum Conventorum*, quæ ab Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, ad hunc decurrentem milleſimum ſeptingenteſimum ſexageſimum protenditur. Et jam centum octoginta ſeptem annos dinumerat.

Aſt alia nobis inſtituenda eſt Hiſtoriæ Polonæ diviſio, juxta varias regiminis formas, & in tres tantum diſtribuenda partes; diligenterque in unaquaque conſiderandum qualis ſucceſſivè fuerit *Imperij* ſpecies. Sic Comitiorum, quæ totam nunc legiſlatoriam exercent, & jure tenent poteſta-

testatem Origo, progressus, & status actualis dignoscetur.

Prima Pars de *Monarchia* à Lecho ad Casimirum Magnum extenditur, & septingentos octoginta sex annos continet. Hæc autem in duas partes subdividitur Monarchia: in *Ducalem* scilicet, seu *Paganam*, quæ à Lecho ad Boleslaum primum cognomento *Chrobri* protenditur, annosque amplectitur quadringentos & quinquaginta. Et in *Regiam* seu *Christianam*, quæ à Boleslao primo ad Casimirum Magnum per trecentos triginta sex annos stetit.

Secunda Pars de *Aristocratia* à Casimiro Magno ad Casimirum Jagellonidem per centum octodecim annos duobus modis considerari potest. Primo sub *Privilegiis*, Casimiro Magno, & Ludovico Hungaro regnantibus per quinquaginta annos. Secundo sub *Libertate* per sexaginta octo annos, à Jagellone ad septimum Regni Casimiri IV. annum.

Tertia Pars de *Democratia* seu de *Comitiis*, à Casimiro IV. ad hanc usque diem sub Augusto Tertio per trecentos & sex annos floruit, & pro votorum varietate in Comitiis, sub Epocis tribus perpendenda. Primo sub votorum *pluralitate* per octoginta & duos annos, à Casi-

Casimiro IV. ad Sigismundum Primum, quamdiù major Suffragiorum numerus omnia decernebat. Secundo sub votorum *paucitate* à Sigismundo Primo ad Joannem Casimirum per centum sexdecim annos; cum minor suffragiorum numerus Comitia disrumpebat. Tertio denique sub *unanimitate*, seu *libero veto*, per centum & octo annos, à Casimiro Joanne ad præsentem annum millesimum septingentesimum sexagesimum. Ex quo scilicet *libera vox Civis*, seu unius Nuntij contradictio Reipublicæ Consilia solvere potest.

CAPUT I.
DE MONARCHIA DUCALI
Seu
PAGANA.

Divisis Historiæ Polonæ Politicæ Partibus, nunc videndum est sub singulis, quale Imperium fuerit; ac primo sub Monarchia Ducali seu Pagana. Graviorum autem testimonio Historicorum contendi-

tendimus, ſub Ducibus Poloniæ ex ſtirpe Lechovianâ, quæ centum quinquaginta regnavit annos, Principatum abſolutum fuiſſe & hæreditarium. Ut verbis ſit fides, Primordia Gentis leviter & breviter attingamus, ſpretiſque fabuloſis, aut vanis & obſcuris authorum commentis, uni Cromero, Polonorum Livio, aſſentiamus.

Fuerint igitur Poloni Scytharum aut Sarmatarum colonia, quæ Bosphoro Cimmerienſi relicto, Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo, Lecho Duce peragratis (quacunque tranſierint) immenſis Regionibus, aut amænitate loci, aut alia de causâ Viſtulam inter & Oderam, Mare Balticum & Hungariæ montes conſtitit. Tunc temporis unius Imperio tota Gens obtemperabat ſub unius nutu, & auſpiciis viam ſibi armis aperit, & ſuam eligit ſedem. Quo titulo Lechus imperaverit incertum; ſed titulo minùs quam poteſtatis genere, & ſubditorum ſubjectionis ſpecie dimetienda eſt authoritas.

Primo plena erat & abſoluta Lechi & Succeſſorum illius poteſtas. Omnia enim inſignia & jura Imperij penes ipſos erant. *Viva Lex erat Princeps*, inquit Cromerus, *vitæ necisque Dominus: jus æquabile dabat populo, non ſecundum Leges, quæ nullæ erant, ſed pro arbitrio ſuo.* Juxta eundem Authorem, juxta Laſkium, & Dlugoſſum, Belli Paciſque erat arbiter; milites ad arma ciebat, jungebat fædera, mittebat legatos & excipiebat. Condebat urbes occupatam armis Regionem in diverſas diſtribuebat Provincias: vaſtas in ſingulis & opimiores terras ſibi ſervabat, cæteraſque eâ lege ſubditis aſſignabat, ut ſibi & aulicis ſuis iter facientibus neceſſaria ſuppeditarent, venatorioſque vel alerent canes; quinimò tributa imponebat quæ vellet. Honores conferebat & Dignitates; & quidquid eſt de ſummo Imperio, Gente & Primoribus inconſultis diſponebat, & imperabat.

Si Primores Regni conveniebant, aderant ad Aulam imperante Duce, ut mandatis ejus parerent. Erat *concurſus* ſubditorum ad arbitrium jubentis, non *liber conventus* ad res publicas ordinandas. Mentes ſuas volenti Principi aperiebant, & ſua proponebant conſilia, quibus auditis, quod ſibi placebat, jubebat Princeps.

Secundò, Principatus hæreditarius erat, & ſuprema Dignitas à Patre in Filium, à Fratre in Fratrem, & ſic per ſingulos cognationis gradus ſucceſſione deſcendebat: ita ut, inquit Cromerus, *avitum Principatum, & Paternum Regnum natu maximus*

mus obtineret, cæteris Fratribus concedentibus, & Sacramento adactis ut illi parerent.

Plura de Lechoviorum ſucceſſione quærere & referre ſupervacaneum eſt: abſolutam fuiſſe oſtendimus eorum authoritatem; vel aliunde deficientibus teſtimoniis, eam quoque ſucceſſivam fuiſſe neceſſario concludendum.

Extincta prima illa Familia Ducali, pro jure naturali cujuſcunque Gentis, Primores & Magnates convenerunt prima vice, ut alium eligerent Ducem; ſeu potiùs ut nobilitatis catervâ ſtipante, & armis Dominum quemque ſuum ad Principatum promovente, inter ſe de Imperio contenderent. Sed eorum factionibus aliæ alijs obſtantibus, quo minùs ex illis unus ad ad ſolium perveniret, inter ſe ſupremam poteſtatem partiti ſunt, & pro numero Provinciarum Regni, duodecim Duces ſeu Palatini facti ſunt, *quibus ſumma rerum pace & Bello in communi demandata eſt.*

Sed emergentibus inde odiis & diſcordiis, rebuſque ad extremam perniciem vergentibus, unuſquisque eorum authoritate ſua ceſſit, *omnesque ſatiùs rati*, inquit Długoſsus, *de deguſtata libertate detrahere quam perire*, Cracum ex Plebe hominem creare Ducem maluerunt, quam Dominum inter æquales eligere.

Poſt quinquaginta annos Craci Prole deficiente, Vendaque in Viſtulam ſe præcipitem agente, ut ſuam falſis ſuis numinibus ſacraret virginitatem, ſicut antea, Proceres Regni inter ſe Imperium diviſerunt. Sed iisdem malis iterum ingraveſcentibus, & undique ita graſſantibus anarchiæ calamitatibus, *ut ſibi quisque Rex & Lex eſſet*, inquit Cromerus, iterum depoſita ſua authoritate Palatini, totius Regni habenas remiſerunt Premiſlao, obſcuræ quidem ſortis, ſed ſtrenuo viro, cujus ope primam Poloni de Hungaris victoriam reportaverant.

Premiſlaô, cui Leſci primi nomen impoſitum, abſque prole defunctô, diſcordibus animis Magnates congregati, & quid faciendum incerti, electionem Principis fortunæ tradiderunt. Ut olim Perſarum Proceres, illi inter ſe coronam ſpoponderunt, cujus ad ortum ſolis aſſignato loco equus prior hinnitum edidiſſet; ſic Polonorum Primores inter ſe futurum Regem ſtatuerunt, qui prior ad metam impoſitam equorum curſu perveniſſet. Darius Hyſtaſpes Æbaris ſtabuli ſui Præfecti induſtriâ, Perſarum obtinuit Imperium. Fraude verò apud Polonos victoris detectâ, ignotus quidam juvenis, cui Le-

sci II. nomen inditum est, Ducalem assecutus est Dignitatem.

Lescus ille II. tres habuit Successores, quorum ultimus fuit Popielus II. quem mures Divinitus immissi, si fabulis credendum est, obstantibus nec quidquam satellitibus, & quidem palude tranatâ, in Palatio suo cum totâ familiâ suâ corroserunt.

Hæc est series rerum Polonarum sub prima communis Historiæ parte, magis fabulosa quam fide digna. Post Ducalem igitur illam Lechi Familiam, tres aliæ, quas *Plebeias* Kadłubko vocat, per annos 142. bis interjectis duodecim Palatinis, sub eodem Ducali titulo regnaverunt. Harum frequenti extinctione sæpius de summo Principatu Magnates inter se egerunt, non speciali Polonorum Privilegio, ut jam dictum est, sed jure communi omnium Gentium; quæ, deficiente Familiâ imperante, aut novum eligere Successorem, aut libertatem amplecti possunt; nisi quis armorum vi summam potestatem invaserit.

Hi autem Duces *Plebei*, ut verbis Kadłubkonis utar, pari authoritate & jure Successionis regnarunt, quo Lechoviani Principes; nihilque frequens familiarum immutatio supremæ eorum potentiæ detraxit. Nullus conventus nationis per totam hanc Historiæ partem. Soli Proceres tribus occasionibus conveniebant, 1mo mandata Ducis, dum viveret, executuri: 2do, Successori filio, aut Hæredi illius, post mortem Principis gratulaturi, fidemque suam obstricturi: 3tio denique, si nullus esset hæres, de novo creando Principe.

Jstæ igitur formulæ, quæ sæpiùs in authoribus occurrunt, quæque Filio, aut Hærede ad Principatum succedente, erant in usu sub primis illis Principibus tum Lechovianis, tum Plebeis; & etiam postea: *concordi Patruorum & Procerum concensu & voluntate: omnium favore & benevolentiâ: summâ omnium gratulatione & plausu* & alia id genus, ut gratulatoriæ tantum intelligendæ sunt; nihilque aliud exhibent, quam publicæ signa lætitiæ, & subditorum in novum Principem fidelitatis, futuræque obedientiæ testimonia.

Piastidis regnantibus eandem modò inveniemus Imperij formam. Sed priùs observandum est, quod Piastus, sicut Cracus, Premislaus, & Lescus II. Vir obscurus & & in humili pago Kruszvicensi commorans, mutuâ magis Primorum invidiâ ad summam rerum evectus est, quàm miraculo

lo olei & ciborum multiplicationis, ſicut Hiſtoricis placet, non bene advertentibus, quod tunc Poloni Pagani eſſent,& ridendis adhuc inſervirent Numinibus.

Exinde ſequitur, quod Magnates illorum temporum, vel à prima Familia regnante extincta, Lechoviana ſcilicet quando Principatum ſibi comparare non potuerunt, aut authoritatem inter ſe diviſerint, aut obſcurum è Plebe hominem maluerint eligere Ducem, quàm Dominum quærere inter æquales. Eadem mens ad noſtram uſque ætatem inter Optimates protenditur: eò tantum diſcrimine, quod nunc mediantibus ſuffragiis Nobilitatis, non ſicut majores ſui unum ex concivibus ſuis minùs præpotentem, Honoribusque non decoratum, ſed externum potiùs Principem Regem eligant.

Piaſtidarum autem Familia 540 annos regnavit, & 24. Reges numerat, ſi Ludovicum Hungarum Caſimiri Magni Nepotem annumeraveris. Ex illis Principibus quinque primi ſub titulo Ducum Principatum tenuerunt. Sed cum nihil admodum certi, aut memoriâ dignum, ſub illorum Imperio fama commemoret, illud tantum annotabimus, quod eodem, quo Anteceſſores ſui, poteſtatis & Succeſſionis

jure

jure regnaverint; ideoque per 450. annos ſub Ducali Dignitate, Paganiſque Principibus Poloniæ ſtatum veram Monarchiam fuiſſe contendimus.

CAPUT II.
DE MONARCHIA REGIA
Seu
CHRISTIANA.

Ex quò Chriſtianis imbutus fuit Sacris Mieciſlaus Primus, Res Polona præſertim floruit; & quaſi è tenebris eruta Regum ſuorum virtutibus & magnitudine cæpit ſplendeſcere. Antequam,qualis ipſorum fuerit authoritas, qualesque ſub eorum Imperio fuerint primorum conventus, perpendamus, Eorum geſta Bello & Pace uno quaſi intuitu inſpicienda ſunt. Quinque potiſſimum in illorum Hiſtoria conſideranda referuntur, quorum ſingula ſigillatim, & quidem attente ponderanda judicamus. Sed ea tamen hîc tantum oſtendemus

mus ſummatim, ne longiùs à propoſito noſtro recedamus.

1mo. Religionem Chriſtianam ſub X. ſæculi finem Polonia amplexa eſt, exemplo & juſsu Mieciſlai I. qui deſtructâ idololatriâ, veraque introductâ Fide, quatuor conſtituit Epiſcopatus.

2do. Titulo Regni inſignita eſt ab Imperatore Othone III. qui Boleſlao Cognomine *Chrobri* Regiam contulit Dignitatem, quam Mieciſlaus Pater illius à Summo Pontifice, in Pietatis Chriſtianæ pretium, obtinere non potuerat.

3tio. Polonia anguſtis olim circumſcripta limitibus, ſub Piaſtidis Chriſtianis ſæpe ſæpiùs à Boryſthene ad Albim uſque fluvium fines ſuos extendit; & utraſque ſubegit Oderæ & Viſtulæ ripas in Pruſsia & Pomerania. Graviſſima denique bella cum Imperatoribus, Pruthenis, Ruſſis, Lithvanis, Crucigeris Equitibus, cæteriſque Poloniæ vicinis nationibus, non ſine fama, nominiſque ſui celebritate geſſit.

4to. Sex è Piaſtidis Regibus variis de cauſis è Throno dejecti ſunt: quorum quatuor amiſſam recuperarunt coronam, duo autem in exilio perierunt. Ipſa quoque Polonia Regni Titulum amiſit, ſummi Pontificis Gregorij VII. authoritate,

te, Boleſlaique *Audacis* excommunicatione. Jterumque poſt 200. annos Regiam Dignitatem redintegravit Wenceſlaus.

5to. Denique Leges ſcriptas promulgavit Caſimirus Magnus medio ſæculo decimoquarto, cunctaſque Imperij Partes cultiori ordine diſpoſuit: & tandem ſub eodem Principe, Potentiſſimo quidem, authoritatiſque ſuæ præcupidiſſimo, initium libertatis feliciter exortum eſt.

Hos eventus præcipuos ſatis eſt hîc indicaſse. Nunc varios inſequamur libertatis gradus, & attente inquiramus, quâ datâ occaſione, quibuſque artibus regiam Magnates perfregerint poteſtatem. Quod ut certiùs detegamus, ſicut primorum Poloniæ Ducum authoritatis ſpeciem, jusque Succeſſionis diſcuſſimus; utrumque priùs in Piaſtidis Regibus inquirendum eſt. Quod autem ad Piaſtidarum authoritatem attinet, non levis eſt error, veraque cæcitas eam non abſolutam fuiſse contendere. Hucuſque enim Lechoviorum, & eorum Succeſſorum per 292. annos vere Monarchicam fuiſse Potentiam comprobavimus. Nulla à Polonis nova pacta conventa fuêre cum Piaſto Kruſvicenſi; ergò ad eum tranſit unà cum ſceptro integra authoritas, quâ primi Poloniæ Prin-

Principes imperaverant: quæ quidem eò major fuit ſub Regibus Chriſtianis iſtius Familiæ, quò victoriis extenſis Imperij finibus, pluribuſque debellatis populis, glorioſiùs regnaverunt.

Præterea immunitates, Privilegia, cæteraque jura à Caſimiro Magno & Ludovico extorta, auctaque à Jagellone & Succeſſoribus ejus, totidem ſunt veræ poteſtati Regiæ detractiones, quæ eam ſub Piaſtidis abſolutam fuiſſe, nulliſque reſtrictam legibus apertè demonſtrant.

Non minùs evidens eſt Piaſtidarum Regnum ſucceſſivum fuiſſe. 1mo, ex ipſa patet ſucceſſione viginti quatuor Regum, inter quos vel Filiæ etiam, ſicut olim Venda, ſucceſſerunt. Rixa enim Filia Premiſlai II. marito ſuo Wenceſlao, & Hedvigis Ludovici Filia Jagelloni, Regnum in Dotem contulerunt.

2do. Viduæ quin etiam Reginæ pupilli Regis Filij, Patris Teſtamento, Tutrices inſtituebantur. Sic Rixa, etſi Germana, Helena licet Ruthena, & Grzimiſlava per minorennitatem Filiorum ſuorum Caſimiri I., Leſci *Albi*, & Boleſlai *Pudici* Regnum adminiſtrarunt.

3tio. Piaſtidæ Reges, Leſci III. exemplo, Provincias Regni inter Filios ſuos diſtribu-

ſtribuêre. Sic Vladiſlaus Hermannus Boleſlao *Krzywouſty* nomine Filio ſuo legitimo inſtituto Rege, quatuor Principatus Zbigneo Fratri illius naturali aſſignavit. Patris exemplum in perniciem Imperij Boleſlaus ipſe *Krzywouſti* ſecutus eſt: diviſoque Regno in quatuor Partes, unam ſingulis Filiis ſuis hæreditario jure tenendam reliquit. Nec hic alienum videbitur, ſi de Teſtamento illius Kadłubkonis verba retulerim - - - *Cum fatale munus jam à ſe exigi ſentiret Boleslaus, teſtamentales conſcribi mandat codicillos, in quibus & avitarum vices virtutum, & Regni Succeſſionem quatuor Filiis legat, certos Tetrarcharum limites determinans, ea tenùs, ut penes natu majorem & Cracovienſis Provinciæ Principatus, & authoritas reſideret principandi: de quo ſi quid humanitùs obtigiſſet, ætatis majoritas, & primogenituræ ratio litem ſucceſſionis decideret.*

Sed ne factis ipſis dubium ſuperfuerit, aut ne in gratiam redamatæ libertatis torvâ interpretatione obſcurentur; quid ipſi Poloni de Piaſtidarum Regum ſucceſſionis jure ſenſerint, videamus. Legantur itaque in Cromero & Długoſſo Orationes Stephani Poboſcij Gneſnenſis Archiepiſcopi poſt diſceſſum Rixæ cum Filio ſuo Caſi-

Casimiro I., & Fulconis Cracoviensis Episcopi pro Lesco Albo ad Regni Proceres novi Regis causâ electionis congregatos, quarum hîc tantum graviora referam. *Hærede Regni superstite*, inquit Stephanus, *non locus est Principi creando: non de eligendo agendum, sed de Hærede coronando. Jura enim Casimiri nullatenùs pendent ab arbitrio nationis, sed unà cum Imperio nata, sine ipsius Imperij ruinâ violari non possunt. - - - Aliud habet jus electio*, inquit Fulco, *aliud jus est successionis. In illa enim liberrima deliberationis libertas; sed in ista urgentissima juris necessitas. Ab electione omnes fateor, citrà legitimam ætatem relegantur. A successione verò ne infantuli, nec posthumi excluduntur.* Sic præstantissimi illi viri rerum potiùs pondere, quam eloquentiæ viribus ad veram legum Imperij Poloni mentem Proceres reduxerunt; rejectisque omnibus concurrentibus, in legitimos Regni Hæredes omnium vota deflexêre.

Ut nihil reliqui faciam, quod ad scopum meum spectat, iisdem testibus Authoribus subjecerim; quod expulso Boleslao *Audace*, Frater illius Vladislaus Hermannus, posito Regis nomine ex Summi Pontificis mandato, Hæredis titulum Regni Poloniæ sumpserit: quem cæteri Successo-

cessores illius in omnibus litteris & actis publicis retinuerunt. Quinimmo Vladislaus ipse Jagello in Statuto quod sub electione suâ promulgavit: *omnia se Privilegia firmiter & inviolabiliter servaturum promittit, quæ à Casimiro Magno & Ludovico, aliisque omnibus Ducibus & Regibus, ex verâ successione Hæredibus Regni Poloniæ concessa fuerant.*

Longiùs fortasse, quam par erat, ea collegi, quæ absolutam potentiam, successionemque Regni in Piastidarum Familiâ assererent. Sed veri ubiq; amans, nimium fateor libertatis amorē, fictamque illius antiquitatem rationum mole & exemplorum numero obruere quodammodo tentavi. Hanc redament Poloni, eamque ut Pupillam oculi servent, quam sibi à quatuor sæculis, multa arte, industria & constantiâ per varias temporum vices paraverunt. Sed vanam respuant, suosque majores à Gentis origine per 787. annos absolutis Principibus, & in diversis Familiis Hæreditario jure succedentibus, paruisse fateantur.

Polonia primum, ut Roma, Monarchia fuit: ut Roma, Respublica facta est: ut Roma, ne fiat Imperium, hoc unum caveat.

Sed tamen objeceris, Magnates sub Piastidis sæpe sæpiùs convenêre, ut etiam de

de rebus publicis cum Rege consultarent, & in diversis conventibus plures ex Regibus è Throno deturbati sunt. Hos omnes Conventus ex ordine prosequamur.

Undecim, ni fallor, in Historia numerantur; quales igitur reverà fuerint, æquo judicio trutinemus.

Primò quidem Boleslaus cognomine *Chrobri*, non minùs prudens Legislator, quam Dux fortissimus, Prælatos inter & Barones Anno 1022. elegit, quorum in administratione Regni consilio uteretur. Unde originem Senatus sumere potuit; & Senatores posteà Regij Consiliarij dicti sunt. Sed illis nullum jus aliud concesserat, quàm ut sententiam suam sibi proponerent, salvâ ad arbitrium suum statuendi authoritate.

Nullum sub Piastidis Procerum Conventum Historici referunt, ante mortem Miecislai II. Anno 1035. Jste Princeps Filius & Successor Boleslai *Chrobri* per novem annos inglorius, Polonisque invisus regnavit. Ferre siquidem non poterant, quod inertiâ suâ & ignaviâ omnes fere amisisset Regiones, quas Boleslaus in Russia, Prussia, Pomerania, Bohemia & Moravia armis occupaverat, & Poloniæ adjunxerat Regno.

Ani-

Animos quoque exasperabat avaritia, arrogantia, & crudelitas Rixæ Uxoris illius. Bona enim Polonorum aviditati Ministrorum suorum, Germanorumque Satellitum invadenda & diripienda permittebat. Subditos onerabat tributis, viris dignitate & virtutibus clarissimis summo insultabat fastu; & immani ferocitate Dunino Comiti inclytissimo lingvam amputari, oculosque effodi jusserat. Hæc tamen Regina, Miecislao mortuo, per duos prope annos Casimiri Filij sui tutelam gessit. Sed compertâ omnium irâ & indignatione, ne quid in se durius constitueretur, in Germaniam cum Casimiro fugit, illumque in Galliam misit litteras edocendum.

Sic Rixæ fugâ vacante Throno, Proceres convenerunt, ut Regem eligerent. Sed odiis & divisionibus suis deperditâ prope Patriâ, consilio & authoritate Stephani Poboscij Gnesnensis Archiepiscopi, ut jam diximus, legitimum Regni Hæredem revocandum censuerunt; eumque quæsierunt usque in Galliam, *deprecabundi*, inquit Cromerus, *veniam exilii sui, & orantes, ut afflictam & penè eversam Patriam respiceret; susciperet Paternum & avitum Regnum; in eo solo Polonorum spem sitam esse, quâ si decidant, funditùs se periisse fatebantur.* Talis

Talis fuit primus Procerum Conventus, quem rerum convocaverat necessitas, & in quo Hæreditarium esse Regnum palam, & sine ulla ambiguitate ipsi Proceres recognoverunt. Si cæteros à Sede sua motos Reges percurramus, nunquam eos à Gente legitime convocata, & sic jure suo decernente; sed aut ambitione, aut invidiâ, aut factionibus præpotentum, aut alia de causâ exulasse detegemus.

Non enim Boleslaus Audax amisso Regno miser & ignotus in Carinthia decessit, quod turpiùs & acerbiùs, devictâ Russiâ regnaverat; sed propter Divi Stanislai cædem, Clericorum odio, & Ecclesiastico Gregorij VII. fulmine, solutis fidei & obedientiæ Sacramento subditis, obsequiumque denegantibus, Regno cedere coactus est Anno 1082.

Miecislaus Senex, omnibus Aulicis artibus Princeps instructissimus, bis fraude & industriâ Lesco *Albo* Nepoti suo Coronam eripuit; bisque solius Gedeonis Cracoviensis Episcopi factionibus è solio dejectus, annis 1176. & 1199. Procerum ope partium suarum, in Thronum restitutus est.

Non Gentis voluntate coronam amisit Vladislaus II. Boleslai *Krzywousty* Filius,

lius; sed Fratrum suorum, quos spoliare tentaverat, victricibus armis ad Posnam fugatus in Germaniam, cum uxore Christina, Anno 1146. secessit.

Quibus artibus & artificiis Lescus *Albus* Thronum perdiderit Anno 1200. post mortem Miecislai Senis, longe Historia narrat. Magnates & divites omnes totam in ditionibus suis authoritatem usurpaverant: *adeò*, inquit Cromerus, *ut vix aliquod summi Principatûs vestigium extaret.* Nicolaus de Bzura Cracoviensis Palatinus, ut Varvicius alter apud Anglos, nutu suo Coronam huc & illuc transferebat. Eam Lesco *Albo* abstulit; ea tantum de causa, quod Gorovicium omni virtutis genere conspicuum virum, Regique fidissimum, pro Nicolai imperio in exilium mittere recusabat Princeps magnanimus. Ingemebat natio, sed potentiori factioso subjecta Regem deserebat, quem admirabatur.

Tandem Vladislaus *Lokticus* Pater Casimiri Magni è Solio pulsus est Anno 1300. non jussu & authoritate Gentis, sed industria & ministerio Posnaniensis Episcopi, qui Regi infensus, iræ suæ socios Posnæ convocavit, Wenceslaoque Coronam detulit cum Rixâ Premislai Filiâ in Matrimonium, ut Thronum jure obtinuisse videretur.

Hi

Hi ſunt Piaſtidæ Reges à Solio dimoti, non Lege publicâ, ut videre eſt, & jure Gentis; ſed factioſorum arbitrio Magnatum, quos ambitio, exaſperata mens in Regem, aut quidam novitatis amor Gneſnæ, Cracoviæ, aut Poſnæ convocabat: ideoque ſex illi Cætus, qui ſupra nominatos Reges depoſuêre, non *Comitia*, ſed *turbæ factioſæ* nuncupandi ſunt.

Quinque ſuperſunt celebriores Procerum Conventus, de quibus mentio in Hiſtoria ſub Piaſtidis Regibus; quique legitimi dici poſſunt, cum Rex ipſe eos convocaverit, ut Primorum ſuffragia obtineret. Duo primi ad tempus Monarchiæ Polonæ referuntur; tres verò alij ſunt veluti libertatis cunæ, ut infra eorum deſcriptione patebit, ideòque, ad Ariſtocratiam pertinent. Singulos ſegregatim conſiderabimus. Sicque detectâ eorum convocationis causâ, facile videbimus, quale tunc Nationis jus fuerit.

Jam Piaſtidæ Reges à Boleſlao I. inconſultis Primoribus per centum quadraginta annos regnaverant, cum Vladiſlaus II. eos Cracoviæ Anno 1140. convocavit, ut eorum ſibi ſuffragia conciliaret. Non adminiſtrandi Regni curâ huc adductus eſt, ſed ſolâ ambitione ſuâ, & rei neceſſitate, quam exoptabat. Jlle

Jlle ſiquidem Princeps Patris teſtamentum, quod antea retulimus, violaturus, Fratresque ſuos Boleſlaum *Criſpum*, Miecislaum *Senem*, & Henricum *Pium* Provinciis unicuique à Patre aſſignatis ſpoliare ambiens, Magnatum ſuffragia, & vires ſollicitare coactus eſt. Tunc primum Proceres ſub Monarchiâ legitime convenerunt, ut de Boleſlai *Krzywouſty* teſtamento, Provinciarumque Regni inter Filios Regios diviſione, ipſo Rege poſtulante, ſtatuerent.

Alter ejusmodi generis Conventus à Caſimiro *Juſto* Lenciciæ Anno 1180. convocatus eſt, ut Ruſticos, & terrarum Aratores ab oppreſſione ſumma, & Nomine Chriſtiano prorſus indigna ſublevaret. Magnatibus enim & Nobilibus iter facientibus omnia neceſſaria præſtare cogebantur; equos, currus, alimenta, & cætera id genus ſuppeditabant. Sed his non contenti Nobiles, in Domibus eorum cuncta deprædabantur. Pecunias extorquebant, auferebant grana, veſtes, ſupellectilia, & quidquid inveniebant, aut ſervabant ſibi, aut deſtruebant. Caſas quoque eorum non ſemel comburebant. Uxores, Filias, & Sorores ſtuprabant impudenter, & ipſos

 quan-

quandoque ad internecionem uſque percutiebant.

Miſeranda eorum ſorte commotus Princeps humaniſſimus, Proceres congregavit, ut immanitatem hanc, flagitioſamque crudelitatem Lege conſtituta tolleret. Quod quidem Regiâ ſuâ authoritate efficere non poterat, quia quem abuſum deſiderabat interdicere, una cum Gente Polona conſenuerat, & ab omnibus tùm Spiritualibus tùm Sæcularibus admittebatur.

In his tantum duabus occaſionibus antequam Respublica naſceretur, Magnatum & Procerum vota & Conſenſum Reges quæſiverunt: ultrò quidem, & non ex Conſtitutione Regni; plena enim & abſoluta erat eorum authoritas. Sed non ſatis virium fuit Vladiſlao II. ad ſubvertendos Fratres ſinè auxilio præpotentum; nec Caſimiro *Juſto* ad tuendos ruris Colonos totam adversùs Gentem, quam hactenùs nullæ Leges, nullæ artes excoluerant.

Monarchiâ Polonâ ſub Ducibus Paganis, & ſub Chriſtianis Regibus conſideratâ, jam qualia fuerint per octo prope ſæcula Comitia explanavimus. Cætibus diverſis, diverſa impoſuimus nomina pro rerum varietate; & cum Cromero oſtendimus, *Principum Poloniæ Dominatum initio li-*

tio li-

tio liberiorem fuiſse, nullisque propemodum Legibus adſtrictum, & infinitam non modò omnium rerum, ſed etiam vitæ necisque omnium poteſtatem habuiſse. Multò tamen eam remiſſiorem ſub Regibus Chriſtianis fuiſſe ultrò fatemur; ſed abſolutam nihilominus & hæreditariam demonſtravimus.

PARS SECUNDA DE ARISTOCRATIA.

QUandoquidem ad libertatis tempora properamus, & naſcentem attingimus Ariſtocratiam; antequam blandienti, ut ita dicam, manu Reipublicæ ſubagitemus incunabula, qualis ineunte Caſimiri Magni Regno Status Poloniæ fuerit, paucis recenſendum eſt, ut illius Reipublicæ primordia, progreſſusque magis innoteſcant.

Poſt mortem Vladiſlai *Loctici*, Regiâ poteſtate & hæreditario jure Regnum adeptus eſt Caſimirus Magnus Anno 1333. Sub illo igitur Principe duo conſiderabimus: *Sacerdotium* & *Imperium*; ex quibus apud quemque populum cæteræ pendent ſupremi Dominij Partes.

1mo.

1mo. Quidem in Polonia una Christiana vigebat Religio à trecentis sexaginta & ampliùs annis. Ex quo Miecislaus V. ex Piastidis Princeps, eam cum subditis suis amplexus erat, jam ab illo Duce, aut à Boleslao *Chrobri* Filio ejus Anno 1000. templa ubique condita, & divitiis referta: fundata Monasteria, amplissimisque locupletata donationibus, & ordinatâ Sacri Cleri Hierarchiâ, septem Episcopatus instituti fuerant.

Antiquis autem illis temporibus, sicut cæteri Europæ Populi, litterarum omninò rudes erant Poloni. Armis tantum Gens assuefacta, nullas excolebat artes, nullam callebat lingvam externam. Romana enim, quâ nunc vel servi & aurigæ facile loquuntur, non nisi regnante Casimiro Jagellone, medio sæculo decimoquinto, in Poloniam introducta est. Nec mirum non habebat natio unde edoceretur, moresque suos duros & antiquos emulceret. Ex quo enim varias Imperij Romani Partes sæculo quinto ineunte, Septemtrionis Gentes invaserant, scientiæ & artes aufugerant longe; Græcaque illa & Romana penitus perierat urbanitas. Ignava ubique & crassior ignorantia. Soli Sacerdotes & Monachi in **Germania, Gallia, Hispania,** & Italia inter

inter rudissimos homines, lingvarum utcunque intelligentiâ, tenebrosâque, ut ita dicam, scientiâ eminebant. Summo exinde honore habebantur, Regiis ubique consiliis aderant, & Belli Pacisque non semel fuerunt arbitri. Authoritas quoque & opes eorum in dies excreverunt, auctisque in immensum Privilegiis, non pauci supremâ Principis potentiâ & nomine condecorati sunt.

Jisdem rationibus apud Polonos Prælati sub Miecislao I., Boleslao *Chrobri*, eorumque Successoribus floruerunt. Ab initio enim, aut non multò post Ecclesiæ Romanæ Sacrorum institutionem, in Senatum admissi sunt, Senatoresque facti, id est Regis tantum, ut anteà probavimus, non Regni Consiliarij, ut stante Republica fuerunt.

Sicque regnante Casimiro Magno in Senatu locum habebant Prælati Regios inter Principes, Palatinos sive Provinciarum Duces, & Castellanos arcium & Castellorum Præfectos, quos Boleslaus *Chrobri* in diversis Regni sui Regionibus creaverat.

Jpse Casimirus Magnus subjectâ totâ Russiâ rubrâ, Leopoliensem Archiepiscopatum fundavit; in illaque Provincia Palati-

latinos, Caſtellanos, cæteroſque Magiſtratus Polonico more inſtituit. Sicque major aut minor erat Senatorum numerus, pro numero Provinciarum, quas Poloniæ Reges aut occupabant armis, aut amittebant.

Judæis quoque, quos Boleſlaus Sputator majoris Poloniæ Dux Anno 1264. in Poloniam ex Germania advocaverat, multa Caſimirus Privilegia conceſſit in cujusdam Eſtheræ Judææ gratiam, quam deperibat. Tale fuit ſub illo Principe *Sacerdotium*, ſive potentia Spiritualis, quæ plures è Throno Regis jam deturbaverat.

Quod ad *Imperium* attinet, ſive ſæcularem potentiam, quatuor hic obſervabimus. 1mo, qualis fuerit Regis Caſimiri Magni *authoritas*, quæ *leges*, *judicia*, & *arma* imperat. 2do, quale *ærarium* illius, quod *poſſeſſiones Regias*, *tributa* & *vectigalia* comprehendit. 3tio quænam in Regno fuerint *Dignitates*, quæ triplicis ſunt generis, *aulicæ*, *militares*, & *Togatæ*. 4to denique quales extiterint Imperij Poloni *fines*, qui varijs fæderibus deſcribuntur.

1mo. Ex Conſtitutione Regni plena erat & hæreditaria Caſimiri authoritas; ſed jugo tamen in ſubditos multò remiſſiore & quibuſdam legibus circumſcripto. Ex

Ex quo enim Chriſtiana Polonia facta eſt, verâ Religione Regum & Populorum animos pariter demulcente, cultiores paulatim mores evaſerunt. Siquidem ſalutaribus Epiſcoporum monitis permoti Principes, maximis eos, omnemque Sacrum Ordinem Privilegiis donarunt. Prælatis quoque ſic ſuadentibus, viris in Dignitate conſtitutis, cæteriſque ſucceſſive ſubditis ſuis non leves conceſsêre immunitates, quò faciliùs eos ad Chriſtianam Fidem ſecùm allicerent.

Deinde in bellatricis Nobilitatis meritorum gratiam, nonnulla de juribus ſuis detraxerunt, ut ſuum amore firmarent Imperium, bellicamque Polonorum virtutem honoribus & beneficiis magis ac magis accenderent.

Ad ultimum, ex quò Vladiſlaus Hermannus, Filiuſque ejus Boleſlaus *Krzywouſty* Regni Provincias inter Filios ſuos diviſerant, auctæ ſunt Magnatum factiones, opes, & jura ſub diverſis illis Ducibus Regij Sangvinis; ipſaque Nobilitas varias Dignitates, terras & immunitates ab iisdem obtinuit Principibus, ut Partibus ſuis adhæreret. Sicque vel ipsâ variorum Ducum ambitione & diviſionibus Nobilitatis jugum levius factum eſt, ampliorque fortuna. Hæ

Hæ ſunt tres præcipuæ cauſæ, quæ duriorem ſenſim Regum fregerunt Dominatum. *Primus* enim juxta Długoſsum *Boleslaus Chrobri Regni tenorem ad utilitatem Gentis, legesque ſalutiferas, humanæ ſocietatis gratiâ diſpoſuit: Caſimirusque juſtus, & Boleslaus Pudicus non niſi Prælatorum & Baronum conſilio leges correxerunt & ſanxerunt.*

Caſimirus ipſe Magnus, cui ſcriptas leges, totumque cultum ſuum Polonia debet, multa de jure ſuo *Legislatorio* & *Judiciali* remiſit. Jurisprudentiæ enim Saxonicæ oppidanis uſum condonavit. *Nimium in Judicijs Palatinorum & Judicum coercuit poteſtatem, ut non ex arbitrio ſuo, aut libidine, ſed ex ſcripto jure deinceps judicarent.* Sibi ipſi & cunctis omnium Ordinum judicibus interdixit jus dicendum de Cmetonibus ſervisq; Nobilium; ſtatuitque, *ut ſoli ipſi antiqui equites, eorumque Succeſſores omnia haberent judicare jura, omnesque ultiones, omniaque judicia cum iis facere & exercere.*

Jus præterea venationis, & metallorum fodinarum, quæ ad Regem ſolum pertinebant, Nobilibus in fundis ſuis permiſit; multaque alia, ut ſalis diſtributionem, conceſſit, quæ hîc referre longius.

Hinc patet ſub Caſimiro Magno *jus legum ferendarum*, & *jus judiciorum* jam à Regibus communicata Nobilibus fuiſſe; ſibi ſolum reſervatis *colloquiis*, ſeu *Terminis generalibus*, quibus in pratis autumni tempore ſub tentoriis, Rex ipſe præſidebat, & ad quos ex aliis omnibus judiciis fas erat provocare.

Armorum verò Rex ſummus erat arbiter, ſive bellum indicendum, ſeu pax componenda; jungenda fœdera, aut renovanda; Provinciæ recuperandæ, aut novæ invadendæ; hoſtis denique repellendus, aut laceſſendus. Hæc omnia Princeps propriâ ſua voluntate, ſupremoque Dominio ſuo diſpenſabat; juſque illud armorum integrum diù Reges ſervavêre.

Ad ærarium autem Regium tributa omnia & vectigalia pertinebant, quæ longo ordine Cromerus recenſet; quæquæ Rex pro nutu ſuo augere vel minuere poterat. Regales præterea poſſeſſiones immenſæ prope erant toto Regno diſpartitæ. Plures enim in ſingulis Provinciis, eaſque ampliſſimas & ditiores præfecturas, quas modò *Staroſtias*, *Æconomias* & *Tenutas* vocant, poſſidebat Rex; eaſque conſtituto pretio per præfectos adminiſtrabat, aut bene meritis ad tempus, aut ad vitam donabat.

Sicut ad noſtrum uſque tempus, ſub Caſimiro Magno triplicis generis erant Dignitates, *Aulicæ* ſcilicet, *togatæ* & *militares*, quas omnes Rex conferre & auferre poterat.

Aulici *Dignitarij*, ut nunc & ſub iisdem Nominibus, in diverſis muniis Principi inſerviebant; quales ſunt Mareſchalci, Cancellarij, Theſaurarij, Pocillatores, Stabuli & Culinæ Præfecti, Venatores, cæterique alij complures.

Togatæ verò, Senatorium Ordinem, Judiciorumque Magiſtratus complectebantur. In Senatu autem aderant tempore Caſimiri Duces Mazovienſes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Palatini, & Caſtellani: quorum, ut jam diximus, aut major aut minor erat numerus, pro adeptarum aut amiſſarum numero Provinciarum. Judicia quoque plura erant in diverſis Palatinatibus, quæ ſuos habebant Judices, Subjudices, & Notarios, privataſque cauſas in Terreſtribus judicabant, ſalvâ tamen ad colloquia Generalia provocatione.

Jdem dicendum eſt de *Militiæ* Dignitatibus. Jam enim Boleſlaus *Chrobri* militandi formam per Provincias, varioſque tractus deſcripſerat. Certum ex præſcripto Regum armatorum numerum quilibet Palatinatus educere tenebatur; Peditumque turmas, curruſque commeatibus onuſtos oppidani ſuppeditabant. Has omnes copias jubente Rege Palatini & Caſtellani congregabant, ducebantque quò Rex mandaverat. Duces autem Supremi aut nulli erant, quando Princeps exercitibus præerat, aut eos pro temporum neceſſitate Rex, alioſque militum Præfectos ſuperiores eligebat, & inferiores.

Superſunt tandem Regni Poloni ſub Caſimiro Magno fines determinandi, ut accuratam Principis illius Imperij quaſi Tabellam ſubijciamus oculis.

Primò quidem ex antiquis Regni Provincijs citrà Oderam, Vladiſlai II. Nepotes Sileſiam hæreditario tenebant jure, & in plures diviſerant Ducatus. Nec jam Poloniæ Regum, ſed Bohemiæ ſub Clientela erant: ex quò perpetua pace omnia jura ſua in illam Sileſiæ partem Carolo Bohemiæ Regi tradiderat Caſimirus.

Aliunde Conradi, Leſci *Albi* Fratris, Succeſſores eodem jure Mazoviam, Podlachiam, aliaſque adjacentes terras poſſidebant; nec Poloniæ Regis ſubjacebant Imperio, ſed tamen Regiis aderant conſiliis generalibus.

Jti-

Jtidem Crucigeri Equites, quos ille Conradus Anno 1230. è Germania ſub Hermanno de *Salza* Duce, cum viginti armatorum millibus contra Pruſſos Pactis Conventis accerſerat, totâ ſubactâ Pruſſiâ contra pactorum fidem, Culmenſem & Dobrzynenſem tractum retinuerant; multas quoque alias invaſerant Regiones, continuiſque bellis jam ab integro ſæculo Poloniam depopulabantur. Sic tribus iſtis *dismembrationibus* ab occidente & ſeptemtrione non leviter Imperij Poloni fines coarctabantur.

Sed versùs Orientem & Auſtrum longiùs Poloniæ limites armis Caſimirus extenderat. Ruſſiam quippe Rubram, Podoliam, Volhiniam cum Bracſavienſi & Beſzenſi Palatinatibus, ditioni ſuæ ſubegerat: Valachiaque & Moldavia Dominatum illius venerabantur. Jdeò non infrequens erat bellum cum Summis Lithvaniæ Ducibus, cum Crucigeris, Tartaris, Ruſſiſque & Coſacis. Auctis igitur modo, modo coarctatis Regni Provinciis imperabat.

Conſtantino quoque Czerniechoviæ Duci, Theoderoque Lubarto Olgierdi Supremi Lithvaniæ Ducis Filiis, nec non Czartoriiſciorum, Sanguſzkonumque Ducum

cum Parentibus, Beſzenſem Terram, Volhiniamque, ſupremo tamen retento Dominio, tradidit.

Talis erat ſub Caſimiro Magno Poloniæ ſtatus. Non jam duro & arbitrario Princeps Dominatu, ſed æquis legibus conſtitutis, regnabat. Convocato Senatu, ſeu conſilio ſuo cum Regiis Principibus, Prælatis, Palatiniſque & Caſtellanis, ultrò conſultabat de Regno adminiſtrando. Plura etſi de ſuis remiſerat juribus, ſummam tamen in omnibus retinebat authoritatem, cujus Pietate Religionis, morum facilitate, & amore in ſubditos jugum laxaverat. Uno verbo non jam ſervitus erat, ſed legitima in Pace & Bello ſubditorum Domino ſuo obedientia.

CAPUT I.
DE ARISTOCRATIA
Sub
PRIVILEGIIS.

EXpositâ sic & explanatâ Regiâ Potestate sub ultimo ex Piastidis Principe, nunc videndum est, quà rerum immutatione, quibusque datis occasionibus, Regni Primores, seu Senatores, immensa primùm ab illo Rege, & Ludovico illius Successore Privilegia obtinuerint; & tandem ad Regni administrationem pervenerint cum Rege partiendam.

Urgentibus hinc & inde gravissimis bellis, priùs cum Crucigeris Equitibus Pacem Casimirus componere statuit; quò cæteros hostes faciliùs & feliciùs aggrederetur. Arbitros pacis instituit Hungariæ & Bohemiæ Reges; illisque mediantibus Wisgardiensem Tractatum obsignavit, quo scilicet Pomeraniam Teutonicis eâ lege concedebat, ut quas in Polonia Urbes terrasque detinebant, Poloniæ restituerent.

Sed pacis posteà conditiones, nisi eas suffragio suo, & authoritate firmaret Senatus, adimplere renitentibus Crucigeris, Rex rei novitate commotus, denique incertus quid faciendum, fortunam potiùs belli experiendam sibi proposuit, quam quod ipse statuerat, Senatui ratihabendum permittere. Instante tamen temporum necessitate, pertentatis priùs Senatorum animis, eos convocavit, ut Tractatûs illius pacta mutua comprobarent.

Hanc primam imminuendæ Principis potentiæ occasionem senserunt Primores, ultròque arripuerunt. Prudens & necessarius erat Tractatus ille: sed ut magis sibi Imperij societatem assererent, amplioraque exposcerent à Rege, consensum suum tunc denegaverunt. Nonnisi igitur aliquot post annos, concessis quidem multis juribus & Privilegiis, nec non amplissimis muneribus datis, ab illis cum Crucigeris Equitibus pacis Confirmationem obtinere potuit Casimirus. Sic Senatus, fractâ primùm Regia potestate Anno 1336. Belli Pacisque, vel ipso Rege condonante, factus est arbiter.

Jdem Princeps quatuor post annos Prole destitutus, præ cæteris consanguineis Nepotem suum Ludovicum Roberti

Hungariæ Regis Filium ſibi Succeſſorem inſtituere cupiens, Senatores iterum convocare coactus eſt; eorumque ſuffragia authoritatis ſuæ, & ærarij pretio redimere. Nec quidem immeritò. Tunc enim de externo Rege eligendo agebatur. Non hæres legitimus Procerum fidem obſtringebat. Caſimiri votis obſequi, aut ſpem illius fallere poterant. Non mirum igitur, ſi confirmandis augendisque ſuis libertatibus intenti, majora ſibi, cunctiſque Nobilibus, Privilegia immunitateſque expetierint, ut Regis ſui obſecundarent voluntati.

Vivente adhuc Caſimiro Magno, Ludovicus ipſe, non ſatis Avunculi ſui benevolentiæ confiſus, quod novas, quamvis Senex, nuptias contraxerat; Tractatu particulari Anno 1355. cum Senatoribus egit de Throno ſibi poſt Caſimiri mortem confirmando; in ſpemque Regni, omnia prope regalia jura ad illorum remiſit arbitrium. Quæ quidem Regiæ Majeſtati detracta, in electionis ſuæ conventu generali Anno 1370. edictô corroboravit.

1mo. Etenim ſe Regem liberè electum agnovit; ſicque jure ceſſit hæreditario. 2do. Omnia tributa & vectigalia ſuſtulit, duobus tantùm retentis groſſis de ſingulis agri Jugeribus in Dominij recognitionem;

itemque pro ſe & Succeſſoribus ſuis nova imponendi facultatem abnegavit. 3tio. Nobiles omnes & ſubditos eorum à ſtationibus Regiis fecit immunes. 4to. Se ſolis Nobilibus Polonis Regni Dignitates, Magiſtratus, Bonaque jam conceſſa collaturum promiſit. 5to. Vacantia illa Bona, id eſt, Præfecturas, quas ipſe, aut Caſimirus Magnus jam Senatoribus aut Nobilibus dederat, non retenturum ſibi, ſed idoneis & bene meritis diſtributurum ſe ſpopondit. 6to. Bona denique Nobilium jure caduco ad ſe pertinentia nunquam ſibi ſervaturum ſtatuit, ſed alijs conceſſurum.

Ættereà cum nullam Prolem maſculam, ſed duas tantum filias haberet Ludovicus, convocato Wiślicenſi Conventu à Senatoribus obtinuit, remiſſis, ſi quæ ſupereſſent, juribus, ut Mariam natu majorem Sigismundo Brandeburgico deſponſatam Hæredem Regni agnoſcerent. Sed poſt mortem illius in Conventu Zollicenſi Mariam rejecerunt; Hedvigemque natu minorem jam Principi Auſtriaco deſtinatam eâ lege Reginam renunciaverunt, ut pro arbitrio Senatûs nuberet.

His ita compoſitis in eodem Concilio Senatores inter ſe liberè conſultaverunt

 de

de novo creando Principe, & ad afferendam libertatem ſuam, quales placuit, futuro Regi conditiones impoſuerunt. Attamen à morte Ludovici ad Jagellonis electionem per quatuor Annos interregnum fuit; commotionibuſque quam maximis agitata eſt Reſpublica. Hinc enim variis de cauſis protracto ex Hungaria Hedvigis diſceſsu, Sigismundique Brandeburgici & Erneſti Auſtriaci Principis, nec non Jagellonis mutuis factionibus; hinc diſcordibus in diverſos alios concurrentes Magnatum affectibus, ætate adhuc tenerâ & imbelli, in cunis libertas prope oppreſsa eſt. Adveniente tamen in Poloniam Hedvige, adunatiſque in Magnum Lithvaniæ Ducem omnium votis, juramentoque confirmatis electionis ſuæ legibus, Hedvigem Uxorem ſimul, & Regnum Jagello conſecutus eſt.

Ea eſt re verâ Reipublicæ Origo, variјque ſunt naſcentis libertatis gradus. Sic tribus illis Conventibus Annorum ſcilicet 1335. 1339. & 1355. ante Caſimiri Magni mortem peractis, Monarchia Polona in Ariſtocratiam deflexit, Senatoreſque ſibi Imperij communicationem, quam anteà factionibus tantum uſurpaverant, Præſidio legum & jure firmaverunt.

CAPUT

CAPUT II.
DE ARISTOCRATIA
Sub
LIBERTATE.

CONſtitutam ſic per 50. Annos ſub Privilegiis Ariſtocratiam, nunc juxtà Septem duntaxat Regiæ authoritatis jura conſiderabimus, breviterque in illo capite indicabimus quid in illa jura ſub Jagellone & Vladiſlao III. per LXVIII. Annos Senatus tentaverit, fuſiùs in poſterùm fundatæ libertatis opus perpenſuri.

Hìc igitur duplicem tantùm obſervabimus legem poſuiſse Senatores. 1mo. ut Libera Regis Electio in perpetuum fieret. 2do. Ut eligendus Princeps ampliora pro tempore, nutuque Senatûs concederet; ita ut decreſcente ſenſim authoritate Regiâ, major in dies exurgeret libertas.

Hoc unum diceres ad hanc uſque diem fuiſse Imperij Poloni fundamentum; parumque præcaviſſe Primores quomodo libertas iſta regenda eſſet, in publicumq; vertenda bonum: ſed tantùm excogitaſſe quibus

bus artibus amplificanda, donec immensa, vastasque vagans per Anarchiæ solitudines, nullas agnosceret habenas.

Sic præcipua sub Aristocratiæ tempore per centum octodecim Annos, Majestatis jura Regi & Senatui communia facta sunt.

1mo. Enim hæreditarium jus liberæ cessit electioni; nec viventi Regi licitum fuit Successorem sibi instituere, aut quovis modo proponere.

2do. Non jure armorum, bellum inferre, aut propulsare; componere pacem, nova jungere fædera, aut antiqua renovare; commotionem Bellicam, seu generalem imperare Nobilitati expeditionem; non stipendarias, vel proprio ære, conscribere legiones; Nec quidquid ad arma spectat, ordinare Principi fas fuit absque consensu Senatorum.

3tio. Ex quò præsertim Casimirus Magnus in celebri illo Vislicensi Conventu Anno 1347. ex consilio omnium Regni *Dignitariorum* & *Officialium*, leges suas scriptas promulgavit, jus legum ferendarum penès Senatum utique & Regem fuit.

4to. Concesso à Jagellone Anno 1442. Nobilitati hoc Privilegio: *ne Nobilem prehendere aut captivare liceret, nisi jure victum*,

ctum, exceptis tamen causis gravioribus: judiciaria potestas tota Regi penè ablata est. Attamen à Casimiro Magno ad Stephanum Bathoreum per ducentos triginta & ampliùs Annos, à Terrestribus Castrensibusque judiciis, quæ tunc erant, ad terminos generales, Regemque usque provocatio erat.

Non jam tributa imponebantur à Rege, nec vectigalia imperabantur, sed ab illis prorsùs immunes erant Nobiles. Aliunde vix paucæ supererant ærario Regio præfecturæ. Largitionibus Regum, oppignorationibus aut venditionibus, ad Senatores aut Nobiles pleræque pertinebant. Nec cudendæ monetæ jus erat Regi inconsulto Senatu. Jam prærogativa salis Nobilibus concessa; jam fodinæ metallorum in Bonis suis datæ, venandique erat libertas. Nec Bona Nobilium confiscari poterant; non caducitatis jure fisco cedere Regio; nec vacantes à Rege retineri poterant præfecturæ.

6to. Non ut sub Piastidis Regibus pro lubitu Principis, & ubicunque locorum, sed determinato jam loco, biennioque lege præscripto sub Jagellonibus, Senatus convocabatur, modò Lublini, modò

Petri-

Petricoviæ, & tandem Varſaviæ Anno 1569.

7mo. Denique Reges quidem pro ſummo ſuo jure, ut anteà, Spirituales & Sæculares conferebant Dignitates; ſed in earum collatione multis jam modis potentiam eorum Senatus reſtrinxerat. Non omnibus enim, ſine ullo diſcrimine eas diſtribuere poterant, ſed ſolis Nobilibus *poſſeſſionatis*, idoneis, ætate diſcretionis vigentibus, juriumque paritate gaudentibus & libertatis. Prætereà eas nec augere nec minuere poterant. Non illarum Collationem ultrà tempus præſcriptum protrahere; non plures in unum cumulare magni momenti; nec denique auferre collatas.

Hi fuerunt per ſexaginta octo Annos ſub Ariſtocratiæ libertate authoritatis Regiæ limites, quoad terminos ſeptem generales, quibus ubique continetur, & præſertim in Polonia. Sublatâ enim Hæreditate Regni, jus armorum, legum-lationis, judiciorum ordinationis, adminiſtrationis ærarij, Conventuum Convocationis, Dignitatum denique collationis, aut omninò penitùs invaſerat Senatus, aut ſtrictis admodùm contraxerat finibus.

PARS

PARS TERTIA DE DEMOCRATIA.

DUos hucuſque Regni Poloni Status percurrimus, Monarchicum ſcilicet, & Ariſtocraticum. His ſuperaddenda eſt Equeſtris Ordinis authoritas, ut veris Comitiorum deſcriptis temporibus, totam exhibeamus Reipublicæ faciem. Hanc ultimam Hiſtoriæ Politicæ partem in tres Epocas particulares diſtribuemus.

1mo. Agemus de Comitiis ſub *pluralitate* votorum per octoginta duos Annos ab Anno 1454. ſub Caſimiro Jagellonide, ad Annum milleſimũ quingenteſimum trigeſimum ſextum ſub Sigismundo I.

2do. De iisdem Comitiis votorum *paucitate* irritis per Annos centum ſexdecim, ab Anno 1536. ſub Sigismundo I. ad Annum 1652. ſub Joanne Caſimiro.

3tio. Denique de Comitiis ſub *unanimitate*, aut *libero veto*, per 108. ſub Joanne Caſimiro ſuprà memorato adpræſentem Annum 1760. ſub Auguſto III.

Sed

Sed antequam oſtendamus, quibus conatibus proſtratâ ſenſim Regum & Senatorum potentiâ, huc tandem pervenerit Nobilitas, ut nihil, quod non juſſerit, in Republica decernatur; omnia pro more noſtro à principiis deducemus. Quemadmodum igitur diverſa Procerum ſeu Senatorum jura conſideravimus: 1mo, ſub Paganis Poloniæ Ducibus; 2do, ſub Piaſtidis Chriſtianam profitentibus Religionem; 3tio, ſub Regibus Electis; ſic varios Equeſtris Ordinis libertatis gradus, ſub iisdem Hiſtoriæ partibus annotabimus.

1mo. Quidem ſub Paganis Poloniæ Ducibus, abſoluto quippe & hæreditario jure regnantibus, non unum erat corpus Nobilitas, nec ulla jura habebat ſpecialia. Tributa & vectigalia ſolvebat ad Supremi Ducis arbitrium. Militum ſtationibus in Bonis ſuis ſubjecta erat. Principi iter facienti, unà cum aulicis & venatoribus ejus, ſubminiſtrabat neceſſaria, multiſque aliis, quæ refert Cromerus, onerata erat ſervitiis. Ad bellum jubente Duce, pro numero copiarum, quem præſcripſerat, propriis ſuis properabat ſumptibus. Pacis autem tempore, in privatis cauſis, arbitrario Palatinorum judicio ſubmittebatur,

tur,

tur, aut aliorum judicum, quos Princeps commiſerat. Denique quoties Ducali Prole deficiente conveniendum erat pro novo Duce eligendo, Palatinos ſuos ad Conventum ſequebatur, parteſque eorum votis & armis propugnabat. Hæc prima fuit Polonæ Nobilitatis conditio à Lecho ad Boleſlaum *Chrobri* per 450. annos.

Sub Chriſtianis Regibus remiſſiori Dominio inſervire cæperunt Nobiles per 336. annos. Nonnulla enim jura, immunitates, & privilegia mediantibus Epiſcopis & Senatoribus, necnon ſuis militaribus meritis obtinuerunt. Quin etiam ad Dignitates pervenerunt aulicas, Togatas, & militares. Diviſo quoque Regno inter Regum Filios, Ducum illorum munificentiâ & ambitione non parum opes ſuas & Fortunam auxerunt. Jam varia judicia inſtituta fuerant in diverſis Palatinatibus, ex quibus omnibus ad Regem provocabatur. Nondum tamen Nobilitas in Provinciis ſingulis convenire poterat, ſed gregatim adibat *Officiales* ſuos, delatiſque querelis & expoſtulationibus ſuis, requirebat, ut eas ad Regem, Regisque conſilium deferrent.

Sed

Sed ortâ ſub Caſimiro Magno, adultâ ſub Ludovico, firmatâque omninò & ſtabilitâ ſub Jagellone Ariſtocratiâ, Regum iſtorum largitionibus & conceſſionibus, Nobilitatis iterum excreverunt vires, & Privilegia; ſurgenteque Republicâ, inſurrexerunt Nobilium animi. Primis ſiquidem Senatorum ſeu Procerum in Regiam authoritatem conatibus, Nobilitas aplauſerat. Sed ubi eos unà cum Regibus ſenſit rerum arbitros, non ſine invidia jus idem ambire cæpit; omnibuſque inſtare occaſionibus, quas ſibi viam adminiſtrandæ Reipublicæ patefacere poſſe confidebat.

CAPUT

CAPUT I.
DE COMITIIS *Sub* VOTORUM PLURALITATE.

ANno 1404. Regni Jagellonis decimo octavô, pro redemptione Dobrzynenſis Terræ, 500. florenorum millia Teutonicis Equitibus ſolvenda erant. Sed quoniam Ludovicus Rex ab omnibus propè Tributis & vectigalibus Polonos immunes declaraverat, ſibique & Succeſſoribus ſuis imponendorum tributorum facultatem perpetuâ Lege interdixerat, (quod utrumque pariter promiſerat Jagello;) neceſſe fuit, ut tota Natio de novo Jure ſuo cederet, & in ſingulos Palatinatus hujus impoſitionem ſummæ diſpertiret.

Quapropter viſum eſt Palatinatus ſigillatim unumquemque in Diſtrictu ſuo convocare, & mandare Nobilitati, ut Legatos ſeu Nuntios eligeret, qui ad Conventum generalem, indicta die & locô, deferrent quid de iſta impoſitione in Comitiolis ſtatutum eſſet. Ea eſt *Conventuum particula-*

ticula-

ticularium origo. Sicque primùm Reipublicæ Consiliis per Nuntios suos, eâ tantum de causâ adesse cæpit Nobilitas, ut tributa decernerentur. Non aliud jus Palatinatuum legatis Rex & Senatus concesserant, quam ut concivium suorum de sciscendis tributis in Conventu generali vota exponerent. Nulla de cæteris consultandi facultate permiserant, totamque condendarum legum potestatem, administrandæque Reipublicæ Rex cum Senatu retinuerat.

Sed sicut olim apud Romanos, debilitatâ sensim Senatûs authoritate, variisque in Patricios usurpatis Dignitatibus, Tribuniplebis ad Dictaturam usque Plebeios promovêre; sic Nuntij terrestres, variis iteratisq; conaminibus per 50. Annos ab institutione suâ obtinuêre, ut Equester Ordo, quem repræsentabant, simul cum Rege & Senatu de summa rerum omnium administratione disceptaret & statueret.

Hoc autem supremum jus Nobilitati concessum est à Casimiro Jagellonis Filio, Vladislaique Tertij Fratris sui Successore, Anno 1454. Jlle enim Princeps Statuto suo illius Anni inter cætera pollicitus est, *quod nullas Constitutiones faceret, neque terrigenas ad bellum moveri mandaret, absque conventione communi in singulis terris instituenda.*

Hanc legem amplificari & firmari Nuntij curaverunt sub Alberto & Alexandro Regibus, Casimiri III. Filiis & Successoribus. Nec priùs cessarunt à proposito, donec Sigismundus I. Alberti & Alexandri Frater, sacrosanctam Nobilitatis legatorum securitatem publicâ lege declararet Anno 1510, Crimenque læsæ Majestatis in illorum violatores pronuntiaret.

Jtaque sub Casimiro Jagellone nata est Democratia, (absit injuria verbo,) id est Ordinis Equestris in Republica authoritas. Tunc Nobilitas prima vice Consiliis publicis per legatos suos adfuit, ut *custos libertatis, suarumque prærogativarum & Legum publicarum.* Inde jus illud obsistendi, *ne quid fieret in præjudicium gravamenque Reipublicæ, aut in damnum & incommodum cujuslibet privatim; aut ad innovationem juris communis, & publicæ libertatis*, juxta Statutum Alexandri Anno 1505.

Ex illo igitur tempore legibus Regni statutum est, ut sine Terrarum Nuntiis nulla Comitia legitima haberentur, neque tributum decerni, ac ne lex quidem ulla ferri posset. Tunc in perpetuum institu-

ta ſunt Palatinatuum, Terrarum, & Diſtrictuum *Comitiola*; modus quo haberentur deſcriptus, numerus Nuntiorum determinatus in ſingulis terris; locus aſſignatus, tempus indictum; tota denique ordinata eſt Comitiorum æconomia, & eam, quam habet, Reſpublica formam obtinuit.

Singulas verò præſentis illius Ordinationis partes referre & depingere non eſt in animo. Vanum quippe non minùs quàm immenſum eſſet hîc Regis, Senatûs, Nobilitatisq; jura ſigillatim indagare, cunctas Comitiorum tùm generalium tùm particularium recenſere leges, variorum genera deſcribere judiciorum, diverſas Spirituales & Sæculares diſtinguere Dignitates, varios Regis & publici ærarij proventus enumerare, antiquamque & recentem exponere rei militaris diſciplinam. Hæc omnia paſſim & ad faſtidium uſque; ſed necdum tamen dilucide ſatis & breviter referuntur.

Unde non parum in Scholis publicis duo præſertim mihi deſideranda videntur ad Nobilis Juventutis utilitatem & inſtitutionem: quæ quidem non levis eſt pars Imperij; ſed ea potiùs ſola, quæ in priſtinum Statum Rempublicam reſtituere poſſit. 1mo. *Hiſtoria Compendioſa* Legum

gum Polonicarum, quæ ad ſolam Regni formam pertinent, neglectis rejectiſque Conſtitutionibus, quæ de privatis tantùm agunt commodis, aut quæ vetuſtate temporum, aut rerum immutatione perierunt.

2do. *Clara & breviſſima* omnium Dignitatum tùm aulicarum, tùm togatarum, tum militarium *deſcriptio*; quæ non multiplici quidem legum relatione intricaretur; ſed unâ tantum, eâque recenti, Lege fundata, præſentem ſolummodò cujuſcunque rei ſtatum exhiberet.

His duobus ultrò operibus tertium adjunxerim, *Ducum & Poloniæ Regum militarem Hiſtoriam*; quæ legibus & formâ Regni ſemotis, bellica duntaxat Gentis geſta narraret; variiſque armorum commemoratis eventibus, ad noſtra uſque pergeret tempora, & ex diverſis oſtenderet fæderibus, quomodo ex tot tantiſque Provinciis Polonum Regnum coaluerit.

Sic à teneris annis Nobilitas Patriam ſuam in Pace & Bello cognoſceret, vero & non fictæ libertatis amore accenderetur, promptiorque ad capeſſendam Rempublicam, bonique publici ſtudio ardens, illudque ſentiens verum & inexhauſtum privati boni fontem eſſe, illi con-

ſtanter, Patrioque animo non minùs provideret, quam libertati.

Quam quidem legum & bellorum duplicem Hiſtoriam, Dignitatumque deſcriptionem *Polonice* conſcribendas cenſeo; quò libentiùs eas addiſcant juvenes, faciliùsque poſſint intelligere. Quinimò civibus quoque ætate provectis iſta opuſcula nequaquam aſpernenda fore exiſtimo; ſi quâ, par eſt, diligentiâ ſelectiorique delectu conficiantur.

Jdeo quam maxime exoptandum eſſet, (ſi quid tamen mens mea habet utilitatis,) ut qui inſtituendæ in publicis ſcholis præſunt Juventuti, & præſertim Konarſcius, ille Vir tot titulis Reipublicæ carus, literarum Reſtaurator, pro ſummo ſuo rerum uſu, ſtudioque in Patriam, hoc libertatis, ut ita dicam, *manuale* ſub oculis ſuis abſolvendum curaverit.

Hæc in gratiam Studioſæ Nobilitatis, ipſiuſque Reipublicæ bonum, absque lectoris tædio dixerim. Ad Equeſtrem Ordinem ſub Jagellonibus redeo, ut varios illius in Regiam poteſtatem auſus, magnamque in Comitiis conſultandi immutationem à Nuntiis introductam; tùm præcipua iſtius proſapiæ Regum geſta pauciſſimis verbis referam.

Jam Statutis Caſimiri IV. Anno 1454. Anno Alberti 1496. & Sigismundi I. Anno 1510. *Nobilitas*, ut ſcribit Starowolſcius, *per Tribunos ſuos in Comitiis leges ſanciebat, Bella indicebat vicinis, fœdera ſtatuebat, imponebat tributa; cudendæ pecuniæ præſcribebat modum, omnemque penitùs Reipublicæ adminiſtrationem in manibus ſuis habebat. Rex verò cum Senatu judicijs præſidebat, & quæ in illis concluderent, moderabatur, Nomenque Tabulis & Titulum Regium inſcribebat.*

Hæc & alia jura ſibi Nobilitas arrogaverat, & quæ jam Senatui per Ariſtocratiam conceſſa fuerant, augeri juſſerat & confirmari. Jam nefas fuit Regibus extrà Regni fines proficiſci abſque Equeſtris Ordinis licentia; non uxorem ducere aut dimittere ſine illius conſenſu: Hæreditaria bona nullo modo poſſidere, aut alienare Regalia.

Alia tunc menſæ Regiæ Bona, alia Regia fuêre; aliudque Regni, aliud Regis ærarium. Hoc autem adeò Principum largitionibus, ſumptibuſque bellicis ita exhauſtum erat tempore mortis Sigismundi I., ut, juxta Orichovium in illius Principis oratione funebri, *Rex prorſus nervis careret, quibus gereret Rempublicam;*

superioresque Reges, unde Bellum gerendum, aut etiam Filia elocanda, non priùs habuissent, quam aliquid addidissent ad Privilegii summam. Hæc erat rerum facies, Equestrisque Ordinis Dominatus per 82. annos à Casimiro IV. ad Sigismundum I. quamdiù in Comitiis omnia Votorum pluralitas statuebat.

CAPUT II.
DE COMITIIS *Sub* VOTORUM PAUCITATE.

DEpressâ sic Regis & Senatûs authoritate, majora in Comitiis, XXIX. Regni Sigismundi I. Anno, tentavit & perfecit Nobilitas; de extinctâ loquor Votorum pluralitate. Hanc autem summam Conventûs generalis inversionem, non ad *pluralitatis* amicorum mentem, sed in veram *Boni publici* gratiam, & quidem pro debi-

debita carissimæ libertatis reverentia leviter pertractare præsumo.

Apud cæteros antiquos & recentes populos, in Consiliis de Divinis aut profanis, de publicis aut privatis, de civilibus aut militaribus rebus, omnia semper & ubique pluralitate suffragiorum, sic dictante naturâ, & ratione jubente determinata sunt, & adhuc determinantur. Apud Polonos quoque votorum pluralitas prævaluit sub duplici Monarchiâ; sub Aristocratiâ; & quidem per centum Annos, ex quò vera Com-tia per Democratiam instituta fuêre. Jtaque pluralitatis authoritas, ab ipsa Imperij Poloni fundatione, ad Sigismundi I. tempora Anno 1536. extenditur, & mille propè Annos adimplet.

Quamdiù Polona Nobilitas hoc unum sibi in Comitiis proposuit, ut Honorem Gentis, Bonum publicum, libertatisque suæ servaret integritatem; tunc omnibus Comitiis feliciter absolutis, quod sibi gloriosum, faustumque Patriæ fuit, plurimorum & Sapientiorum consilio constitutum est: ita ut sub Sigismundo I. optimo bellicosissimoque Principe, ab Anno 1507. ad Annum 1536. novemdecim Comitia integra & continua numerentur.

Sed

Sed ubi primum Magnatum ambitione & factionibus abreptus Equester Ordo à proposito suo aberravit, tunc ratio *arrogantiæ, licentiæ* libertas, & Honor *auro* cessit.

In Comitiis igitur suprà memorato Anno 1536. convocatis, pauciorum contradictiones Nuntiorum prævaluêre; *&* ut verba Cromeri referam, *imperitorum & audaciorum impudentiæ & importunitati cedentibus natu majoribus, gravitate, sapientiâ, usuque rerum pollentibus, statutum est, non quod gravissimis & plurimis, sed quod loquacissimis, clamosissimis & audacissimis placuit.*

Ab illis autem Comitiis, audaciâ in dies crescente, Magnatibusque propriæ tantùm utilitati (non bene quidem) consulentibus, sequenti Anno *Rokoß* fuit, & septem posteà sub eodem Rege, & illius Successore & Filio Sigismundo Augusto irritis Comitiis, pauciori numero cedere assuefacti sunt Poloni.

Sic auctis successu temporum, & ad plenariam promotis authoritatem, Equestris Ordinis juribus, unusquisque Nobilis Polonus in Bonis suis omninò liber, & prope Monarcha fuit. Felix utique, & præ cæteris exoptanda conditio; si vera liber-

libertas regnaret. Hanc autem aureis, quæ floruit sæculis, omnes posuerunt Philosophi & legislatores *in morum integritate, humanitate, justitiâ, animique magnitudine, sub rectæ rationis imperio Legibus descripto.*

Hanc ultrò ambiunt libertatem Gloria & solida felicitas. Barbaris, ferisque hominibus eam relinquamus, quæ *quidquid jusserit cupiditas aut libido, perpetrare potest.* Falsa ergo, humanoque Generi exitiosa sine lege libertas. Lex enim nihil aliud est, quam probitatis dictamen & sapientiæ. Regnante Lege, vera regnat libertas. Sola vitia exulant; virtutes coronantur; soli igitur improbi legum oderunt authoritatem.

In hâc summa Equestris Ordinis libertate originem sumpsit perfecta illa Nobilitatis *æqualitas*; quæ nullam originis, aut titulorum, sed Dignitatis tantum agnoscit distinctionem. Extinctis enim sub Sigismundo I. Mazoviæ, Magnisque Lithvaniæ Ducibus, æqua & communis fuit inter Nobiles jurium & libertatis paritas; quæ externos despexit titulos, & à Maximiliano Imperatore oblatos, verâ animi magnitudine, recusavit.

Exinde exposcentibus à Sigismundo I. qui-

quibusdam Senatoribus, ut discrimen quoddam inter Nobiles statueret; parum abfuit, quin Nobiles Leopoli Anno 1537. impetum facerent in Senatores, ac Regi obedientiam renunciarent. Sic jure & meritò, quod posteà sub Sigismundo III. Vir omni appellatione major, Zamoyscius scripsit ad Carolum Sundermaniæ Ducem, quilibet Nobilium de se tunc temporis jactare potuisset: *genere par sum omnibus Nobilibus, vel ex quibus Reges sunt prognati, & ita honestissimè natus, ut quivis Regum honestissimè.*

Quam quidem omnimodam Nobilitatis æqualitatem elegantissime describit Nicolaus Firleus in Epistola ad Filium suum percelebri. Hanc eo libentiori calamo hîc perscribam, quò magis ac magis suam sentiant Nobiles Poloni Dignitatem; minusque titulis, & augendæ quoquò versum fortunæ indulgeant, quàm publico invigilent bono.

Apud nos, inquit Castellanus ille Voynicensis, *unicus est Ordo Nobilium quem juris ac libertatis communio æquat. Nihilominus tamen Familiarum vel Personarum æstimationem multa distingvunt, ut pote munia & Dignitates Reipublicæ, vel præsentes, vel antiquiùs crebriùsque in Familia gestæ; tum*

tum virtutis, vel meritorum opinio: sæpe etiam præsens fortunarum splendor ætatis etiam ratio. His fere præcedentibus omnis Ordo constat inter pares alioquin genere. Qui igitur nostratium aliis modis præ concivibus suis priorem locum, vel gradum Nobilitatis sibi captant, sibi imprimis, tum Patriæ legibus, tum exteris hominibus imponunt. A nobis verò risu & contemptu potiùs, quam indignatione, aut contentione aliquâ excipiendi sunt.

Quousque sub Jagellonibus libertas processerit, jam satis ostendimus. Gesta nunc Regum illorum paucis prosequamur.

Septem numerantur istius Familiæ Reges; electi quidem, sed ordinum consensu sibi invicem succedentes. Cum ipsis nulla pacta propriè dicta confecta fuêre; sed unusquisque eorum concessa ab Antecessoribus suis confirmabat jura, & nova identidem concedebat.

Hoc quoque attendendum est, quod sicut Vladislaum Jagellonem solus Senatus eâ lege Regem renunciavit, ut Hedvigem defuncti Ludovici Regis Filiam duceret Uxorem; sic Equester Ordo cum Senatu, in Electione Henrici Valesij, pactis conventis statuit, ut futurus Rex Annæ Sigismundi Augusti Sorori, jam ætate provectæ, nuberet.

Cæte-

Cæterum non minùs Regno, quam libertati profuerunt Jagellones. Tot enim Poloniæ Provincias adjunxerunt, quot ordinibus nova concesserunt Privilegia. Primò quidem ipse Jagello in spem Imperij totius Lithvaniæ, & Samogitiæ unionem promisit, cum omnibus in utraque Russia Alba & Rubra subjacentibus Provinciis: quæ tamen unio vix peracta est post 200. propè annos à Sigismundo Augusto in Comitiis Lublinensibus Anno 1569. ita ut hoc sæpiùs Senatores, & quidem prudentissimi, dictitarent: *Cum conjunctio Lithvaniæ & Poloniæ fieret, executioque legum, tunc permisuros se; ut sibi laqueus collo inijceretur.*

Jdem quoque Princeps Jagello certâ auri summâ *Scepusiensem* in Hungariâ emit Comitatum; duobusque aliis pari modo acquisitis à Casimiro IV. & Alberto, *Oswicimensi* scilicet & *Zatoriensi*, in Silesia Regni Poloni fines extensi sunt.

Ad Septemtrionem verò Casimirus ille IV. debellatis & attritis Teutonicis Equitibus, Prussiam Occidentalem Poloniæ subjecit, & Pomeraniam. Utramque posteà perpetuâ Pace Anno 1535. Sigismundus I. Polono junxit Imperio.

Quam

Quam autem Prussiæ partem titulo Regis nunc possidet Fridecicus III. Brandeburgicus Elector, eam sub Ducali tunc Dignitate à Rege Sigismundo Albertus Marchio Brandeburgicus XXXIV. & ultimus in Prussiâ Magnus Crucigerorum Magister, eâ lege obtinuit, ut, extincto in Prussia illa Teutonicorum Ordine, Provinciam hanc sub tutela, & in feudum Regis & Reipublcæ Polonæ teneret; Jlliusque deficiente prole masculâ, Prussia illa Ducalis, Regni Provincia fieret.

Totam prætereà ad Septemtrionales oras Livoniam jure & armis adeptus est Sigismundus Augustus Anno 1560. Undique enim in hanc Provinciam Moscis furentibus, nec quâ obstarent habentibus Ensiferis Equitibus, Gothardus Ketlerus Magnus tunc temporis eorum Magister, omnes Livoniæ terras Sigismundi tradidit arbitrio; extinctoque pariter Ensiferorum Ordine, Curlandiam tantùm & Semigaliam sibi & posteris masculis hæreditariam, in feudum cum titulo Ducis retinuit. Inde jus Curlandiæ Ducis creandi ad Regem, & Rempublicam hucusque pertinet.

Ex

Ex illa autem Gothardi cessione, cruentum illud cum Svecis, Moscisque bellum ortum, quod non nisi 100. post annos Olivensi pace confectum est. Ex his omnibus patet, maximos Reges fuisse Jagellones, amplissimamque libertatem in amplissimo Regno reliquisse.

Votorum in Comitiis paucitatis usum prosequendo, ad pacta conventa tandem pervenimus. Jam enim à 37. annis sub Sigismundo I. ut retulimus, pauciorum ista Nuntiorum contradictio Reipublicæ consilia disturbabat, cum extinctâ penitùs, Sigismundi Augusti morte, Regiâ Jagellonidum Familiâ, libera incæpit Electio, communisque fuit Senatum inter & Equestrem Ordinem. Sed cum incipientibus pactis conventis, quam maximè immutata fuerit tùm Sacerdotij, tùm Imperij ratio; nonnulla mihi priùs observanda videntur, quàm ultimam hanc Dynastiæ Polonæ partem aggrediar.

1mo. Triplex in Principibus Polonis consideranda est successionis species. A Lecho enim ad Casimirum Magnum, verè & simpliciter hæreditaria fuit Ducalis aut Regia Dignitas. A Ludovico Hungaro ad Sigismundi Augusti mortem, successivum quidem fuit Regnum; sed tamen

men sub libero Ordinum consensu & declaratione. Sic illa Jegellonidum successio *electiva* dici debet; quamvis istius Prosapiæ Reges *Domini* & *Hæredis* titulum in omnibus actis publicis usurpaverint. Sed deficiente illorum Familiâ Anno 1572. mera electio instituta est, abrogatus *hæredis* titulus, sublatumque jus *successionis*.

2do. Quid in electione Henrici Valesij actum fuerit altâ mente reputans, nullam reperio stabilitam regiminis formam, nullum ferè consiliorum ordinem. A morte enim Sigismundi Augusti, per sex menses in singulis Lithvaniæ & Poloniæ Provinciis tumultuosi fuêre Conventus absque concordiâ & authoritate; nihilque in commune statutum est.

Ordines deinde Varsaviam convocat Primas Uchanscius; sed pauci adeò Senatores & Nuntij convenerunt, ut ne inceptis quidem Comitiis, Domos reverterentur. Tandem Proceres utriusque Poloniæ in quodam Ravensis Palatinatûs oppido ultrò congregati, futura *Convocationis* Comitia ad sextam Januarij diem Anni 1573. Varsaviæ indicant.

Quatuor externi proponuntur Candidati; nulla prope mentio de *Piasto* sive indigena. Ernestum inter Austriæ Archiducem

ducem, & Henricum Principem Gallum primò fluctuant Ordines; & mox adunatis suffragiis Henricum renuntiant Regem.

Tùm primâ vice Pacta Conventa describuntur, & quidem amplissima, quæ obsignant, firmantq; Sacramento Oratores Galli. Sic Thronum Polonum obtinuit alienigena Princeps, eaque fuit tantæ molis œconomia, totiusque Reipublicæ ordinatio.

Exinde longiùs recedens ad usque libertatis originem, primævam quoque nullam invenio administrationis publicæ fundationem, nullam excogitatam *Imperij* formam. Magnates quidem video, post Ludovici mortem, summum libertatis attollentes ædificium; sed tanto ponderi fundamenta nullatenùs adæquantes, uni potiùs ambitioni & cupiditati suæ consuluisse videntur, quam Reipublicæ bono, veræque concivium suorum libertati.

Electionem enim Regis ideò successioni prætulerunt; ut sibi ad solium pateret aditus, aut illud saltem externis Principibus, non sine propriâ utilitate, recluderent. Regiam omnibus modis perfregerunt authoritatem; ut suam particularem magis efferent. Ablatis à Rege præfecturis; Regia imminuerunt bona; ut Regibus erepta

pta sibi servarent, suamque augerent fortunam. Tributis & vectigalibus regium exspoliarunt ærarium; ut immensas suas possessiones ab omni publico servitio redimerent. Cunctos denique Nobiles à Regio solverunt Imperio, ut illos sibi opibus & authoritate faciliùs devincirent.

Huc omninò reducitur totum illud egregium libertatis opus à Magnatibus post Ludovici mortem elaboratum. Nihil ex consilio certo; omnia ex casu fiunt. Etenim tunc temporis aut Regiam penitùs tollere Dignitatem, aut illâ servatâ Rempublicam instituere liber potuit Senatus. In utroque autem casu, primum de Regno, in Bello & Pace informando consultandum fuit inter Senatores; & per quatuor annorum spatium à morte Ludovici, ad Jagellonis electionem firma *Imperij* fundamina ponere potuissent.

Quoniam verò liberum statum sub electivo Rege fieri visum est, tria primum determinanda occurrebant: *Reipublicæ* scilicet *per Interegna administratio*; *certis Legibus Regis electio circumscribenda*, & tandem *stabilienda sub Rege libertas*.

Fundamentales ergò leges condendæ erant, quæ tria hæc firmissimo componerent regimine; quæ cunctas publicæ admini-

ministrationis vices pace & bello sapienter dirigerent; quæ in Interegnis, in electionibus, in particularibus, & generalibus Comitiis, in supremis atque inferioribus judiciis, & denique in variis commissionibus constantem formam, bonumque ordinem præscriberent & juberent.

Sed cum Regia ambitio, & publica libertas non facile simul coëant, mutuoque se se invicem tentent deprimere, veris utriusque limitibus per leges diligenter descriptis, *Suprema* præsertim *excogitanda* & *ponenda erat authoritas*, omnibus superior factionibus, Regi pariter, & unicuique verenda; quæ leges omnes & singulas tueretur, vimque earum ubique præstaret præpotentem; quæ publicam securitatem internam & externam legibus prævisam propugnaret; quæ solam militarem, & literariam Gloriâ præmiisque foveret ambitionem; quæ denique cunctis boni publici partibus constanter consideratis, veræ & pretiosæ libertatis regnum, non licentiæ pestem perennaret.

Sic compositâ totius Regalis Reipublicæ formâ, constitutis ad utilitatis publicæ mentem, Patriæque Gloriam legibus, iisdemque omnipotenti authoritate firmatis, tunc statuendum erat, ut illas actu publi-

publico exaratas futurus subscriberet Princeps, easque Sacramento confirmaret observandas.

Si post mortem Ludovici distracti factionibus, & non bene concordibus animis, aut etiam ex consultò & ex ambitione sua, hæc omnia Magnates neglexerint, minùsque de formanda Republica, quam de privato Bono, Regiaque potestate restringenda cogitarunt; saltem per 120. Annos, ex quò cum Senatu de rebus publicis Nobilitas consultavit, à Casimiro scilicet Jagellone ad Henrici electionem, firmam & stabilem Respublica formam obtinere potuisset. Sed nedum de constanti, tranquilloque illius & perpetuo Regimine actum fuerit; ad hanc usque diem nihil de tribus illis sapientis Imperij fundamentalibus principiis statutum est.

Quamobrem mihi, ut Sarnicio, mirum est, *quod nec definitionem eligendi Regis, cujas & qualis esse debeat; nec modum præscriptum, nec formam electionis celebrandæ habuerit Respublica per tot centurias annorum ex quo stat.*

Quòd ut recentioris, & coævi nostri Historici authoritate certius fiat, ipsamet Lengnichij verba referam; qui quidem omnium Authorum fidem, & Constitu-

tio-

tionum testimonia non minùs attentè, quam accuratè revocare consuevit. *Modus*, inquit, *quo Rex eligendus in Legibus præscriptus non est, cum, quæ de hoc in confœderationibus generalibus leguntur, pauca sint, & minime totum illud negotium, quod tamen in præcipuis, absolvant.*

Referendo posteà quòd illud non semel animadverterint Poloni, præsertim in Comitiis sub Sigismundo Augusto, Stephano, Sigismundo III, & Michaële Regibus, sic pergit idem Author. *Mansit inde electionis modus legibus descriptus, inter ea quæ adhuc desiderantur: cujus utilitatem Primas in electione Michaëlis frustrà cõmendavit, dolens Majores tantum de illo cogitasse. Hanc ob causam pleraque eorum, quæ in Regis electione obtinent, usus suggerit, qui ultrà mortem Sigismundi Augusti non est repetendus: ab hoc enim tempore solennia, illa, quibus electio celebratur, cœperunt.*

Hanc igitur omninò liberam, aut potiùs vagam voluerunt ambitiosi; & ut, inquit Author quidam, *ratio privati Statûs semper aliquid finxit, ut saluti publicæ noceret.* Quare à lege tantũm præcaventes, cæterisque ex consilio neglectis, nihil unquam constitui permiserunt, quò minùs incerta illa universos inter Candidatos, omni-

omnibusque communis eligendi Regis facultas, bono non obstaret publico.

Nullis ergò Regum suorum electionem circumscribendo legibus, *ne*, inquiunt, *imminueretur libertas, si legibus clauderetur*, & quibusdam tantùm solemnitatibus ex usu repetitis, & successive relatis in Constitutionibus, internis eam & externis ita obnoxiam fecerunt factionibus, ut non immeritò Sarnicius idem exclamaverit: *revolvite annales nostros, vix ullum exemplum electionis liberæ invenietis, cuivis aliqua, aut ars admixta non fuerit.*

Hinc labes prima mali: hinc mutuâ Magnatum invidiâ, non sine quadam Gentis abjectione, extraneos non indigenas Reges habuit Respublica. Hinc præcipua quatuor Poloni Imperij mala: *electionis variæ & cruentæ factiones: nimiæ Libertatis exundatio: Regiæ Majestatis depressio:* & quod pessimum est, *Legum contemptus.*

Primò quidem ex indeterminatæ Electionis factionibus, non raró, vel in medio Electionis campo, perpetratæ cædes; nulla Comitiorum reverentia; ferox quandoque in Senatorium tectum, seu *Szopa*, impetus; scopletorum etiam in Nuntiorum circulum, seu *Koło*, explosio; præceps-

que

que ſemper in Rotis Equeſtribus furor. Hinc varios in Candidatos ſciſſio Reipublicæ, attrociſſimumque ſæpè ſæpiùs civile bellum exarſit.

Dum enim Occidentales inter & Orientales Dominos ſcindebatur vulgus in contraria, externi auri arbitrio inſerviebatur aut armis; morum fugiebat integritas, generoſusque exulabat amor Patriæ; in quorum locum ſubibant *cupiditas* & *privati ſcientia boni.*

Hinc Interegna bonis omnibus inviſa, pravorum & turpè avidorum votis expetebantur, ut ampliſſimæ tempora ſegetis colligendæ. Hinc ſecretiores illæ, & pretioſæ Magnates inter & Regni Candidatos conditiones; quibus fortunæ ſuæ, ſuorumque clientum utilitati proſpiciebant. Inde ſolii potiùs mercatura, quàm libera Principis electio.

Siquidem cum jam circà libertatem in electione Henrici, ſubſequentiumque Regum, nihil haberent Poloni quod à futuro Rege deſiderarent, immenſa aliundè in Regni pretium expoſtulaverunt. Modò Myriades in ſtipendia exercitûs; modò publica ædificia juſſerunt exſtruenda: tùm vetera munimenta imperarunt reparanda, & de ſolido nova ædificanda; Tùm purganda indi-

indicarunt flumina, aptandaque navigationi; aut numeroſam propoſuerunt navium Claſſem comparandam; deffendendos denique Imperij fines, amiſſasque propriis ſuis ſumptibus recuperandas Regi ſuo Provincias reliquerunt.

Quotannis prætereà in publicos uſus non levem erogaverunt auri copiam; & quidquid in commune bonum excogitare poterant, futuro ſuo Regi, nullis aliunde aſſignatis proventibus, vel ſub exaugurationis, & obedientiæ non præſtandæ pænâ impoſuerunt. Quibus quidem enumeratis, non parum lepidè Mieleccius ſcripſit de legatis Gallis: *ſi Poloni vel pontem aureum Viſtulæ imponendum petiiſſent, non opus negaturos fuiſſe Gallos, ſed tantum de genere auri quæſituros.*

Ex innumeris autem, quæ exuberans ſecum trahit libertas, tria hîc tantùm mala, ut præcipua ſegregabo.

1mo quidem, vaga illa & effuſior libertas turbidos ubique peragit Palatinatuum & Terrarum Conventus: Singulosque biennio plures Regni Provinciæ nullos habent in Comitiis legatos; ideòque nec ſuo privato, nec Reipublicæ bono conſulere poſsunt.

2do. Solenni Gentis univerſæ irridet Con-

Convocationi; congregatosque Ordines Regiamque ipsam Majestatem, infectis rebus publicis, prætextu vel levissimo pro-unius arbitratu Domos dimittit.

3tio. Tandem, quod summum dedecus, gravissimumque singulis Civibus damnum, sacra Justitiæ vitiat templa; Licentiaque afflante, jura Themis minùs, quàm auri summam ponderat & auctoritatis. Inde non semel necessaria *Judiciorum* reformatio; quæ quidem ad hanc usque diem iterum est censuræ subjicienda.

Ex nimia Regiæ Majestatis *depressione*, nullaque aliâ constitutâ permanente & firmâ authoritate, imminuta est quodammodo Statûs Dignitas; minusque constans & recta visa est Reipublicæ forma. Hinc inermes siluêre leges, omnisque pene cecidit vitiorum & criminum coercendorum potentia: *tum flagrans irrupit avaritia*, inquit Zawadzkius, *periculosus ambitus, violentissimisque sceleribus reclusa est arena.*

Etenim legum silentiô, omnia confusioni regenda permittuntur; subque fallacissima libertatis imagine, veram in liberrima Patria Gens patitur servitutem. Tunc enim nullo stante *imperio*, quod possint invocare cives; fortioris impudentiæ, Re-

gis

gis arbitrio, & Magnatum superbiæ atque aviditati ludibrio sunt.

Exinde in statu quovis Regia semper, aut suprema Imperij *Majestas* omninò tuenda est. *Cui si derogaverimus*, inquit Sapientissimus Fredro, *non credamus meliùs libertatibus nostris provisum iri: sed Principis diminutâ authoritate, unà diminuitur in Populo superioritatis respectus, ut omnia per licentiam fiant.* Malum quidem est Principem, aut Principatum habere sub quo nihil ulli liceat; sed multò pejus alterutrum talem regnare, sub quo omnibus omnia liceant.

Nulla enim est, neque fuit unquam Natio, quæ in statu naturali subsistere potuerit felix & secura, ut anteà ostendimus in prævia hujus operis dissertatione. Humana faciliùs immutaretur natura; Frustra homini, in amorem sui ipsius, primævam hanc legem, *ne alteri faciat, quod sibi nollet fieri*, suprema dictitat ratio. Paucissimos sola regit conscientia. *Velle suum* cuique est, & uni suo quisque, prout potest, indulget voto.

Væ igitur Genti cuilibet, in qua singulis *velle suum* omninò liberum est, nec lege ullâ & authoritate, in societatis gratiam, ad boni rectique normam deflecti-

tur

tur. Ubi libera regnat cupiditas & ambitio, ibi sola vis imperat & audacia.

Duo igitur, ut vita, cuivis populo generatim necessaria sunt, *lex* nempe *quæ justum jubeat & bonum, & firmior Principatus* qui verendam ab omnibus præstet legem.

Ut autem communia ista veræ politicæ principia Polonæ adaptemus Reipublicæ, quoniam sub Rege electivo tuenda est libertas, suprema necessaria est ab Ordinibus stabilienda *authoritas*, quæ Regem ipsum supremosque Magistratus, sicut cæteros Cives, legibus subjiciat, & coërceat ad parendum. Non semel enim adagium illud usurpant Poloni: *Servi legum sumus, ut liberi esse possimus.* Ergò libertas, vel ipsis fatentibus, à lege, legisque authoritate pendet.

Etenim ideò se liberrimum, & vel Regibus ipsis superiorem, olim jactabat Civis Romanus, quod solos Deos, & leges sibi superiores agnosceret. Hanc igitur Anarchiam, hanc rerum omnium confusionem sola redamavit Regum ambitio, Magnatumque fovit cupiditas. Sed nulli fuêre inter Equestrem Ordinem bene cordati cives, qui inversionem illam rectæ rationis, ut bono publico contrariam non exosi sint, legitimâque eam legum authoritate non expetierint obruere. De-

Denique, velut ex fatali Pandoræ capsula, ex legum comtemptu omnia mala irruerunt. Corruptis enim per nimiam libertatem moribus, quidquid mali humana fert natura longè latèque diffunditur. Quod volumus, hoc unum Sanctum est: per scelera sceleribus tutum est iter: *non hospes ab hospite tutus; non socer à genero:* urget undique auri sacra fames: nulla fides; nulla veri pietas: & ut verbo dicam, incumbit terris quidquid de ferreo sæculo a Pôëtis decantatum est.

Fugatis namque legibus, virtus perit & innocentia. *Pravi enim sunt ex naturâ suâ homines,* inquit Machiavellius, *aut oblatâ occasione facile corrumpuntur. Si rectè igitur se gerere nequeunt nisi necessitate cogantur, certè ut felicitatis cursum teneat Respublica, legibus opus est non minùs ad corrigendum, quam ampliandū statum. Paupertate siquidem homines fiunt industrii, Legibus boni, si earum executio certis & severis institutis provisa fuerit.*

Quamobrem spretis, aut impotentibus legibus, ut fama expansis alis effrenoque assidens equo, incerta quò tendat vagatur libertas. Privato arbitrio gerendam potiùs permittit Rempublicam, quàm res privatas Reipublicæ administrandas; & cuncta in pejus ruunt. His

His præmissis de institutione libertatis per Senatores post mortem Ludovici, & per Senatum & Equestrem Ordinem mortuo Sigismundo Augusto; ad Poloni Imperij sub Pactis Conventis Historiam progredimur.

Post mortem Sigismundi Augusti *7ma* Julij Anni 1572. per sex menses, ut diximus, in varijs Provincijs vana & irrita fuêre Comitiola. Tandem Senatus & Ordo Equester Primate convocante convenerunt; & iisdem fere solennitatibus, quibus nunc conficitur novi Regis Electio, in aperto campo propè Varsaviam, die 16. Maij 1573. Henricum Valesium Poloniæ Regem, Magnumque Lithvaniæ Ducem Regni Mareschalcus renunciavit. Tunc primum de Pactis Conventis simul egerunt Ordines conficiendis, communemque jam libertatem & jurium æqualitatem, adversùs tantùm Regem, omnibus modis curaverunt stabiliendam.

In illa autem Henrici cum Republica Capitulatione, non aliam fundamentalem posuisse Poloni videntur Regiminis speciem, quàm ut novus Rex, revocatis *1mo* omnibus & singulis juribus ab Antecessoribus suis concessis, ea omnia pro se & Successoribus suis jure-jurando confirmaret.

2do. Ut nova ad Ordinum lubitum pro variis concederet temporibus. *3tio.* Ut plurimis, & gravissimis aliunde sese submitteret conditionibus.

Hæc eadem & constans fuit ad nostram usque ætatem omnium Pactorum Conventorum forma. Sic strictioribus in dies Henrici Successorum authoritatem limitibus intercludere studuerunt Ordines; donec tota & integra Pace & Bello Imperij potentia eos penès remanserit. Non leviter igitur dixisse videor in unum Regem indesinenter Ordines insurrexisse; non satis, quà par erat, satagentes de firmo & felici Reipublicæ statu ordinando; & incertâ legum executione, veræ non consuluisse libertati.

Lex enim est alma libertatis parens, benigna Tutrix, promptaque & secura vindex. Nedum illam infirmet, vi suâ eam ambitiosos adversùs & potentiores tuetur & propugnat. Non alia de causâ tot Sapientes, tot amplissimas leges Poloni constituerunt, quàm ut redamandam suam libertatem præsertim asererent.

At quoniam legum authoritas ambitionis audaciam, violentiamque refrenat cupiditatis, non firmam eam & stabilem tunc Magnates voluerunt; sed quæ pro tempo-

tempore, & commodo ſuo obſcuris artibus, vel ſub amæniſſimo libertatis Nomine, debilitari poſſet: inde vaga electio, inde in conſiliis confuſio.

Hujus quoque legum inertiæ vitium Regia fovit ambitio, quominùs potentiæ ſuæ publica obſtaret libertas: illamque confuſionem ſuis factionibus exiſtimantes aptiſſimam, externæ Dominationes omnibus auxerunt Miniſteriis, continuòque augere enituntur.

Sed cum Henrici electionis tempore, ab integro jam ſæculo & ampliùs Polona Nobilitas publicæ cum Senatu præeſſet adminiſtrationi, quàm maximè mihi mirum eſt, quod Principatum non aliter diſpoſuerit. Quando quidem privata duntaxat à privato Cive metuenda ſunt; à Magnatibus, à Rege, & ab exteris factionibus ſolummodò præcavere debebat Equeſter Ordo. Tunc duo, ut veræ anchoræ, ut veræ pupillæ libertatis, invocanda erant, *Prudentia legum*, earumque *potens & ſacra authoritas*.

In condendis igitur legibus, præſertim obviandum erat Potentiorum cupiditati, ambitioni Regum, & exterarum invidiæ Dominationum. Tunc quas prudentiores excogitare potuiſſent leges libertatis amor, Honor

Honor Nobilitatis, & publicæ privatæque ſecuritatis cura; illæ ut victrici utique corroborarentur authoritate totis viribus, toto animo, toto vel ſanguine ab Ordine Equeſtri efficiendum erat.

Porrò in eligenda illa ſuprema legum authoritate, omnis fateor poſita erat difficultas. Sed ſi Nobilitas vires ſuas apprimè ſenſiſſet, ſuaque vera perpendiſſet commoda, obſtantibus necquicquam auro humaniſque cupiditatibus, vinculum hoc facile exſolviſſet. Non ad Licurgi, non ad Platonis mentem recurrendum. Ipſamet enituiſſet mens generoſa Polonorum, (Imperij tantùm vitio decolorata) mediumq; illud inveniſſet vera Patriæ & libertatis caritas. Sicut enim, ſi humana Sacris aſſimilare fas eſt, congregationem de fide propagandâ Chriſtiana inſtituit Roma; *Supremum quoddam de tuendis legibus tribunal* ita ordinare potuiſſet Polonia, ut ſalvâ verâ, & legitimâ libertate, leges ubique regnarent.

Ex his omnibus ſequitur per 300. & ampliùs annos, ex quò libertas incæperat à Caſimiro Magno ad Sigiſmundum I. nullam ſolidam Imperij poſitam fuiſſe Conſtitutionem; ſive à Magnatibus ſub Ariſtocratiâ, ſive ab Equeſtri Ordine ſub duabus

duabus primis Democratiæ partibus, *Pluralitate* ſcilicet Votorum in Comitiis, & *paucitate*.

Non meliùs in poſterum, ex quò imperat *unanimitas*, legibus conſultum fuiſse hodierna comprobavit experientia. Nonnullæ tamen ſub Pactis Conventis, dùm *paucitas* Votorum conſilia ſolvebat, in *Sacerdotio* & *Imperio* immutationes fuêre, quæ breviter hîc ex Ordine proſequemur.

Primò Calviniſtarum & Lutheranorum Doctrina ſub Sigismundo I. Poloniam infeſtare cæpit. Albertus enim Brandeburgicus, Supremus Teutonicorum Magiſter, Romanos Ritus deſeruit, ut Lutheranã Doctrinam amplecteretur. Sic conſcientiæ ſuæ pretio, ſicut plures alij tunc temporis Principes, Pruſſiam Crucigerorum Ordini eripuit, ſibique propriam Familiæque ſuæ reddidit hæreditariam. Pace autem inter Sigismundum & Albertum compoſitâ, propter Regionum vicinitatem, Poloniæ viſcera doctrina iſta facilè penetravit. Jam ſub Sigismundo Auguſto Familias præpotentes adeò invaſerat; ut necquicquam Epiſcopis reclamantibus, cæteriſque Senatoribus Catholicis, in pactis cum Henrico conventis & Succeſſoribus

ejus,

ejus, ſpecialiter ſtatutum fuerit de pace inter *diſſidentes* ſervanda.

In Imperio autem Civili hæc præcipua innovata ſunt. Severitatem Stephani in homicidas paulò acerbiùs ſævientis, quam ferebat famoſa illa lex Caſimiri Magni de vitæ humanæ, ſingulorumque corporis membrorum pretio, palam improbavit Nobilitas. Rex ut tumultum ſedaret, ſimulque conſuleret juſtitiæ & integritati ſuæ, Żamoyſcii Supremi Regni Cancellarii conſilio, omnem Equeſtri Ordini jurisdictionem remiſit; ſoliſque fiſci Regij litibus, civitatumque ſibi directè ſubjectarum contentionibus judicio ſuo reſervatis, ſummum Reipublicæ Tribunal ex Nobilium Deputatis Anno 1578. ordinavit.

Jam leges non Latine, ſed *Polonice* ſcribi cæperunt. Quoque modo in Comitiis conſtituerentur Anno 1588. ſub Sigismundo III. decretum eſt. Tum Jus Pruſſicum Anno 1598. & Lithuanicum 1648. reformatum eſt & approbatum. Exhauſtum ſub Ariſtocratia & ſub Pluralitate Votorum, ut antea diximus, ærarium Regium, ſub Sigismundo III. in Lithuania primùm, & poſteà in Polonia Anno 1589. reſtitutum eſt; perpetuâque lege non violandum Comitia ſanxerunt.

Tum

Tum subsecuta est de non præstanda, quibusdam admissis conditionibus, Regi obedientia lex illa percelebris Anni 1609. duobusque post annis, sub iisdem Regis ac Regni titulis, institutæ sunt Palatinatuum, Terrarum, Districtuumque *Aulicæ* dictæ *Dignitates*.

Omnes prætereà Constitutiones de limitanda Regis authoritate circà jus armorum, Dignitatum, & bonorum conferendorum, nec non Comitiorum Convocationis, reassumptæ & extensæ sunt Sigismundo III. regnante. Sic Regalia jura iterum restricta sunt sub illa Pactorum Conventorum parte, quæ Votorum paucitatis titulo inscribitur. Multa quoque alia minutiora statuta fuêre de Regum Matrimonio, de Regiis bonis non alienandis, aut acquirendis hæreditariis; de non auferendis collatis Dignitatibus, & de conferendis ab Equestri Ordine.

Hæ autem illæ Constitutiones amplissima tantùm præstiterunt Legum Volumina; quæ tamen non integra sunt, nec gravissimis consona Historicis. Aliunde omnes illæ leges non ex uno continuoque principio fluunt; sed aliæ post alias latæ, nec partibus inter se adæquatis, ad immensitatem magis excrevêre, quàm, ad utilitatem.

Qua-

Quamobrem seligendas potiùs quam colligendas, potiùs resecandas quam augendas leges existimo; totaque mente Fredroni Castellano Leopoliensi, eidemque Authori sagacissimo assentiri non dubito. *Antiquarum legum*, inquit, *generalitati meliùs à Republica provisum est, quam à Recentibus earum specialitati, quâ non aliud obtinere expetunt, quam repetitam legis unius interpretationem vacillando vim prioris. Antiquitùs enim lege cautum habent Poloni, ut penes eos maneat Regum electio; tum ne Rex privato quidquam arbitrio, sed omnia ex consensu Ordinum statuat. Quid opus ultrà? tutiùs hanc legem uti universam tueri, magisque liberi sumus illius interpretatione, quam si ad specialitatem descenderimus; cujus hæc est natura, ut si quid non expresseris, pro omisso habeatur.*

Prætermissis igitur variis legibus, quæ otiosos tantùm, nec grave sentientes detinere possunt, totam illam Constitutionum collectionem ex integro restituendam, earumque uniuscujusque rationem extricandam legum Historicis relinquo.

Ast Imperij Poloni vices prosecuturus, ea satiùs subijcienda hic arbitror, quæ diversos sub illa ætate Reipublicæ motus, & ut ita dicam, libertatis fluctus exhibent.

Huc

Huc enim intenditur propositi mei scopus, ut in singulis istius operis partibus, vera dignoscatur Regiminis species; nihilque in pace & bello aut scitu dignum, aut utile reliqui faciam.

Primò sub Sigismundo III. Anno 1606. *Rokoß* fuit, seu *armatæ Nobilitatis ad vexillum libertatis concursus.* Lithvani quoque se Polonis adjunxerunt contra Regem, & aperto marte dimicatum est. Tria maximum hunc tumultum excitaverant, nimia in Regem invidia, quod Austriacæ Dominationi plus æquo obtemperare videretur; tum ambitio Magnatum de vacantium distributione querentium; Episcoporum denique in dissidentes odium, eorumque oppositio Lutheranorum & Calvinistarum expostulatis.

Hic *Rokoß* tertius numeratur in Historia. Primus, & quidem cruentissimus fuit sub Ludovico Rege Anno 1780. alter, quem jam memoravimus, sub Sigismundo I. Anno 1537. Tertium modò descripsimus; quartum autem & ultimum videbimus post mortem Joannis III. scissione factâ in Electione Contij Principis Galli, & Augusti II. Anno 1697.

Secundo 17. Comitia *pauciorum* numero rupta sunt ab Henrico, ad quintum Regni

Regni Joannis Casimiri annum. Sed in illis tamen Comitiis sancita tributa, & constituta ante Nuntiorum contradictionem, vim legis habebant, ut omnes testantur Historici.

Tertio, tanta erat in Comitiis Equestris Ordinis authoritas sub illius *Paucitatis* tempore, ut actis Comitialibus, juxta Comitiorum recessum Anni 1625. non *Constitutionum* titulum, sed *Uchwała* imponi jusserint Nuntij: tanquam non Regis, non Senatûs, sed solo Equestri jussu & consensu decretis & statutis; vixque precibus placati, utrumque titulum *Constitutionis* & *Uchwały* inscribi permiserint.

Quarto, licet jam, ut suprà retulimus, vel ante Sigismundum I. auspicatâ Nobilitatis æqualitate, externos titulos, pro morum Dignitate, cordatiores exosi sint & respuerint viri; nullæ tamen extiterant in eos latæ leges, qui titulos illos ambiebant & honores, quando sub Sigismundo III. Heros Polonus ille Zamoyscius à Legato oblatum Hispano aureum vellus recusavit.

Sed Anno 1638. in Comitiis Varsaviensibus constitutum est, ut Duces & Comites Wiśniowieccii, Czartoryiscii, Sanguszkones, Czetwertynscii, aliique complures, qui hisce titulis, ex antiqua Duca-

li ſtirpe oriundi, gaudebant ante Magni Ducatus Lithvaniæ, Palatinatuumque Kioviæ, Volhyniæ, & Braclaviæ Regno Poloniæ *incorporationem*, eâ conditione titulos ſuos ſervarent, ut adæquatâ jurium & libertatis paritate cum cæteris Nobilibus fruerentur, & unum cum ipſis efficerent corpus.

Hæc præcipua pace geſta ſunt ab Anno 1573. ad Annum 1652. ſub Henrico ſcilicet, Stephano, Sigismundo III., & Vladiſlao ejus Filio, id eſt per 80. Annos ſub Votorum *Paucitate* Comitia rumpente. Militaria verò facta longiùs eſſet recenſere, quàm capit de Comitiis compendioſa diſſertatio. Ea tamen paucis referam, quæ ſub illa Hiſtoriæ parte Poloni Imperij exhibent amplitudinem.

Sigismundo III. Joannis Seciæ Regis Filio, Poloniæ Rege electo, Carolus IX. tunc Sundermaniæ Dux Sigismundique Patruus, obtentu Fidei Romanæ quàm colebat Sigismundus, in Nepotis ſui Thronum ſubſtitutus eſt. Hinc acriùs Polonos inter & Svecos de Livonia renovatum eſt bellum, jam 30. ante annos ſub Sigismundo Auguſto incæptum. Vario cruentoque marte per 50. annos pugnatum eſt; tandemque mediantibus Galliæ & An-

gliæ Regibus, ad 26. annos ſub Vladiſlao induciæ factæ ſunt.

Aliunde varias ſæpiùs Lithvaniæ Provincias ſub Jagellonibus ferro & igne vaſtaverant Moſci. Nulla pacis fides, nulla fæderum reverentia eos detinebat. Quàque datâ occaſione urbes armis invadebant, agrosq; depopulabantur. Quos ut compeſceret Stephanus, junctis cum Sveciæ Rege viribus, bellum Magno Moſcoviæ Duci indixit; nec ſemel fugatum compulit ad pacem petendam. Quam cum non rarò violaret male fidus Princeps, veteres ulturus injurias Sigismundus III., ortis in Moſcovia Civilibus bellis, è Principatu dejecit Baſilium, Filiumque ſuum Vladiſlaum à Moſcis Ducem eligendum curavit. Sed adventum ſuum Vladiſlao non accelerante, mutatâ repente Moſci ſententiâ Michàélem Federovicium elegerunt.

Quamobrem expugnato à Romano Sanguſzkone Smolensco, cum numeroſo exercitu in Moſcoviam perrexit Vladiſlaus, Moſcuâque urbe incensâ, quâ lege voluit inducias expetenti Duci conceſſit. Harum autem poſteà induciarum conditiones perpetuâ pace ut firmaret còégit Moſcum: ſicque Smolenſcenſem, Severienſem, & Czer-

Czerniechovienſem Ducatum Polonæ ſubjecit ditıoni Anno 1634.

Duo igitur graviſſima præcipuè bella ſub Stephano, Sigismundo III., & Vladiſlao Poloni geſsêre, quorum varius admodum fuit exitus. Svetico enim bello tota fere Livonia per inducias amiſsa eſt: at Moſcovitico ad usque 200. Milliaria in longitudinem, & 90. in latitudinem ultrà Boryſtenem fluvium, Imperij ſui fines Polonia extendit.

CAPUT III.

DE COMITIIS *Sub* VOTORUM UNANIMITATE.

Libertatem hucusque, ſub quatuor quaſi diei vicibus, jam perſpeximus. Regnantibus Paganis Ducibus, eam à Lecho ad Boleſlaum I. per 450. Annos atrâ denſâque nocte doluimus ſepultam. Ab illo Boleſlao ad Caſimirum Magnum per 336. annos ſub Regibus Chriſtianis, ut auroræ rubeſcenti applauſimus: à Caſimiro Magno ad Caſimirum IV. per 118 annos ſub Ariſtocratia mirantes Orientem fovimus, & invaleſcentem: & tandem à Caſimiro illo Jagellone, ad Joannem Caſimirum per 200. propè annos, ſub duabus Democratiæ partibus ad meridiem usque feliciter progreſsam coronavimus.

Qualis nunc à Joanne Caſimiro ad Auguſtum III. noſtris temporibus glorioſè regnantem, diùque omnium votis regnaturum, per 108. annos, ſub Votorum in Comitiis *unanimitate*, ſeu *libero veto*, hucusque fuerit, futuraque videatur nobis ſupereſt inquirendum. Quæ quidem quam maximè exoptandum eſt, ut firmior ſemper & validior, meridiem ubique ſervare poſſit; rerumque humanarum ſorte immunis, ſuo ipſo pondere nunquam præceps tendat ad occaſum.

Non lætis verò libera vox tentata eſt ominibus, ſed ſiniſtris avibus auſpicata, infauſtiſſimis pace & bello, nata eſt temporibus. Sive enim Comitia & Regni Conſtitutionem, ſive arma reſpexeris, nulla ſævior ætas Reipublicæ fuit; nunquam magis miſeranda Poloniæ facies.

Extin-

Extincto enim Vladislao IV. *qui post beneficum multorum annorum imperium, solâ morte suâ de Republi a malè meritus est*, ut ait *Comes de Lessio*, internis & externis pariter lacerata hostibus Polonia, quidquid furoris impietas, quidquid ferocitas & lascivia potest barbarorum, experta est. Nec immeritò stupebat idem Comes ad congeriem Patriæ malorum: *Amisimus*, inquit, *Principem, amisimus Duces, exercitus, & opes; uxores, filiæ, virgines barbarorum mancipia sunt; & quod præcipuum est, existimationis, ægre admodum reparabile, damnum fecimus.* Hinc enim Sveci & Mosci; illinc Tartari, Cosaci, & Hungari simul aut vicissim instabant, nec sine horrore quodam de Chmielnitico bello Pastorij Historiam perlegeris.

In mediis istis calamitatibus, dum vilis & barbara colluvies omni ferocitatis genere sæviret in ditissimas à Borysthene propè ad Vistulam Poloniæ Provincias: dum Mosci furerent in Lithvaniam, interioraque Regni viscera Sveci penetrarent, orta est illa, illa insignis *libera vox* & percelebre natum est *liberum veto.*

Etenim jam à quatuor annis infelicissimè regnabat Joannes Casimirus; incertasque Imperij habenas sorti committens, Comitia Anno 1652. Varsaviæ convocaverat, ut pereunti Patriæ succurrerent Ordines, tantisque malis, si quod esset, remedium invenirent. Sed unus Nuntius, cujus Historia Nomen, ut nefandi ominis, diù celaverat, ambitioni & auro Magnatum turpiter indulgere maluit, quàm conscientiæ, quàm Honori, quàm ingemescenti inservire Reipublicæ, solusque obtestando & discedendo Comitia rupit. Sicut autem, etsi vetante lege apud Græcos, Erostratis Nomen ad nos usque pervenit; sic istius Nuntij Upicensis Terræ in Lithvania *Sicinscij* Nomen nunc vulgatissimum est, & ad posteros perveniet.

Novimus quidem quid de hac libera voce senserint Olszovius, Zawadskius, Hadensteinius, Warsevicius, Łubińscius, Piaseckius, Fredro, Sarnicius, aliique Complures Authores gravissimi. Sed absit ut eorum hîc sententias referam, ne, licet sint alienæ, recensendo meas facere videar.

Prætermissis igitur acerbis eorum declamationibus, dirisque in usum *liberi veto* imprecationibus, quæ nostris etiam adhuc temporibus undique resonant, tacitus perpendo quâ de causâ, in tanto rerum omnium discrimine, Poloni permiserint ut

ut uno cive ſic jubente, & quidem pro arbitratu ſuo privato, non autem ex voto juſsuque Provinciæ ſuæ, Respublica ſine auxilio deſtitueretur.

In re autem tam gravi non ex aliorum opinionibus, affectibusque variis dijudicandum eſt. Sed æquâ bilance, fixis oculis attendendum quid reverà in iſtis Comitiis actum fuerit. Ut cæteros deſeram Authores, ſimplicem Hartknochij ponderabo narrationem. *Non pauci*, inquit, *poſt Nuntij illius abitum, ſvaſerunt ut Comitia nihilominùs continuarentur; quoniam proteſtatio non fluxerat ex illius inſtructione ... Attamen alij contra obtendebant, contradictionem liberam eſſe pupillam libertatis Polonicæ; quâ ſemel læsâ, de tota libertate actum eſſet.*

Exinde ſubitò evaneſcit difficultas, veramque ſentio Polonorum mentem. Purus libertatis amor, quo ſtant omnes Respublicæ, Novitatem hanc toleravit, licet periculoſiſſimâ. Intactam omnimodè libertatem maluerunt Poloni, quam factâ illâ, aut ſaltem percuſsâ leviter, præſentibus Patriæ malis opem ferre.

Omnes quidem *Sicinſcij* pertinaciam execrabantur; ſi dedecoris illius emptores pretioſos exceperis. Omnes contradictio-

nis

nis illius iniquitatem ſentiebant & vilitatem; ſed vocis liberrimæ uſum eâ mente venerati ſunt, ut inde major in Patriam amor naſceretur. Non in perniciem illius vocem liberam vertendam rati, meliùsque de poſteris ſuis opinantes, nunquam *Sicinſcium* fore ſperaverunt, qui petulanter, auroque tantùm ſvadente, Reipublicæ Conſilia abrumperet.

Sed ſicut olim tota Ariana fuiſſet Eccleſia, ſi horrendæ Arianorum impietati ſolus non obſtitiſſet Athanaſius; ſic permiſſo & tolerato, ſed non lege firmato *libero veto*, ſi quodam infelici caſu (quem Deus averteret) cæteri in Comitiis Patriam deſererent, aut non auderent propugnare; tunc magnanimum confidebant fore Civem, qui liberâ ſuâ voce libertati opitularetur.

Generoſam igitur illam avorum ſuorum in admittenda libera voce indulgentiam intelligant & venerentur Poloni. Non res tollenda, ſed abuſus rei omni ope tollendus. Id efficiat redivivus honor, & publicæ ſalutis cura; ſi religio, Patriæque leges non ſufficiunt. Propriam ſaltem utilitatem ſuam, imò ſecuritatem & ipſam libertatem reſpiciat Polona Nobilitas. In illius verè perniciem excogitata

eſt

est rerum omnium illa confusio. Nulli privato Nobili prodest: uni aulæ, & solis inservit potentioribus, factionibusque exterorum.

Ea est enim Anarchiæ calamitas, ut humiles præsertim & bonos opprimat Cives. Exauctoratis enim legibus, nulloque coërcente imperio, furit undique ambitio & cupiditas. Nulla sua virtuti merces, nulla sceleri pæna: utramque aurum distribuit & imperat.

In pretio pretium tunc est, dat census Honores.

Nulla pauperi Patria est, quæ vitam illius, famam, bona & libertatem vindicet. Grassatur ubique fortioris lex; aut si quid visatur legibus, in miserrimos tantùm sævitur & pauperrimos.

Dat veniam corvis, vexat censura Columbas.

Leges enim, ut Aranearum telas auri pondere tunc potens perfrangit audacia; exitiosissimaque illa confusio sub fallacis libertatis imagine, veram obtegit servitutem.

Ergò tandem vires suas, & fortis suæ claritatem agnoscat Equester Ordo. Gloriam quærat, & gloriâ opes parabuntur. Qui malè quæsito fulget auro, infamiam suam

suam ostentat; totusque dedecore suo coopertus progreditur. Brutis annumerantur, qui solo corpore vivunt; toti corporei sunt, qui solis divitiis inhiant.

Rex verè est, liber & Patriæ amans Polonus. Quis furor est tantæ dignitatis excellentiam vili pretio commutare? quid? ipsæ divitiæ vel amplissimæ in tanta rerum inversione instabiles sunt. Eas *Rokoß*, eas externi subita hostis invasio, eas vel vilissima illa latrunculorum turba, quos Haydamacas vocant, subvertere potest. Nullius fortuna secura: nulli consequenter felices; quandoquidem sola tranquillitas felicitatem parit. Dapes enim inter delicatissimas esuriebat ille Dionisii conviva, cujus capiti acinacem tenui filo suspensum Rex imminere jusserat.

Aureâ libertate suâ præ cæteris gentibus superbiant Poloni; sed eam non frangant abutendo. Nunquam solida est absque legum auxilio, falsaque & periculosa, quæ nullis circumscribitur limitibus. Libertatem igitur & leges pari studio redament, optimas in pace & bello seligant, & eas ad effundendum usque sangvinem propugnent.

Romanis gaudent assimilari, vetere imitentur Romanos. Ut Brutus; libertat filios

filios; ut Manlius, victorem filium legibus immolare non dubitent; ut Cincinnatus, purpura & fascibus relictis, villam suam repetebat, laureatisque manibus exiguum arabat campum; sic peractis Reipublicæ Ministeriis, solâ gloriâ præeunte Domos revertantur.

Sordet Sapienti empta à mercatoribus magnitudo. Sicut generosus, mediisque in campis effrenus, & exultans equus, multò præstantior est, quam si loris implicitus esset aureis, straguloque vel gemmis distincto condecoraretur; sic nuda Magnanimitas vanos superbiæ fastus respuit, nec auro lapidibusque pretiosis indiget, ut splendeat.

Si terris exulasset veritas, dictitabat olim unus ex Galliæ Regibus, saltem in labiis Regum sedere deberet. Sic ego de Polonia sentio. Si cæteras gentes deseruisset honor, aufugus eam petere debuisset. Nullibi major, nec dignior posset esse libertas. In libertatis autem sinu efferuntur animi motus generosiores. Quidquid enim legum non attingit severitas, infamiâ & turpitudine verus honor reprimit. Sola virtute, velut fundamine proprio, perstant Respublicæ, auro imperante pereunt.

Non

Non iniquo igitur vultu respicienda est sub Joanne Casimiro introducta votorum *unanimitas* seu *liberum veto*. Sed vox ista libera in publicum dirigenda est bonum; nec nisi in summo Reipublicæ interitu, ad veterum Polonorum mentem invocanda. Nunc ad Historiam illius redeamus. De bello priùs dicemus: paucis posteà absolvemus, quæ in pace constituta sunt circa libertatem asservandam, & amplificandam; quæque id circò ad publicam Regni pertinent Constitutionem.

Adversâ quasi obrutus fortunâ Joannes Casimirus in Silesiam aufugerat. Sed variis licet hostibus miserabilem undique in modum Poloniam vastantibus, vel malis ipsis Patriæ fortior, Polona virtus de illius salute non desperavit.

Confœderatis enim Minoris Poloniæ Palatinatibus, victrici militum manu profugum Regem revocantes Lubomirscius & Potoccius, libertatem prope destructam vindicare cæperunt. Inito scilicet cum Daniæ Rege & Electore Brandeburgico fœdere Anno 1657. ad urbem Velaviensem in Prussia, æquiori marte Svecos Poloni represserunt; tandemque Anno 1660. in Olivensi Monasterio pax cum illis composita est. Pacto autem Velavi-

ensi

ensi Dominium in Prussiam Polonia amisit, Supremusque Dux Prussiæ declaratus est Elector Brandeburgicus; Eâ tamen conditione, ut deficiente prole Masculâ in Brandeburgica Domo, Regno Poloniæ Prussia incorporaretur. Pace verò Olivensi jure suo in Livoniam Svecis Polonia cessit; eamq; tantum illius partem retinuit, quam nunc possidet Cisdunanam.

Eodem anno, quo pax cum Electore Brandeburgico, duris quidem conditionibus, composita est, novus alter extitit hostis. Ragocius enim Transylvaniæ Princeps, quem Carolus Gustavus acciverat, cum 50. armatorum millibus, Poloniam intravit. Sed fugatus à Potoccio Supremo Regni Exercitûs Duce, & ad indecorum fædus paciscendum coactus, totoque à Tartaris deleto exercitu, in Transylvaniam suam rediit.

Exteris illis hostibus successerunt Domestici tumultus. Sæpius enim Confæderati exercitus pro stipendiis exsolvendis, Urbes & Nobilium bona deprædabantur, pecuniasque exigebant & commeatus. Civile præterea exortum est bellum Regem inter & Lubomirscium Supremum Regni Cancellarium, nec non minorem exercitus Ducem. Hunc capitali odio Ludovi-

dovica Regina prosequebatur, quod, vivente Rege, Successoris Electioni in legum gratiam constanter obstaret. Quocircà illum in Comitiis Varsaviæ Anno 1664. capite, famâ, & bonis tanquam publicum hostem curavit damnandum; sed duobus post annis in quasdam Dignitates suas, & pristinum Statum Comitiorum Decreto restitutus est.

Cum Moscis quoque Anno 1667. induciæ factæ sunt quarum pactis Smolenscum, Severiam, Czerniechoviam, totam Ukrainam extrà Borysthenem, Kioviamque Mosci recuperaverunt. Sic Joannes Casimirus amplissimas Provincias perdidit, quas Vladislaus Frater armis victricibus subegerat.

Aliunde profligatis non semel à Sobiescio Tartaris & Cosacis, hoc cruentum & nefandum bellum eo ipso Anno 1668. dissipatum est, quo publico renunciationis diplomate in Galliam secessurus, Thronum abdicavit Joannes Casimirus.

Post Casimiri abdicationem incertis Magnatibus qualem eligerent Regem, diùque diversas inter factiones dubitantibus, in electionis campo strictis armis obequitans Nobilitas Michäëlem Korybutum, Wisniovieccium Ducem, Regem renuncia-

 vit

vit. Sic 300. poſt Annos à morte Caſimiri Magni Piaſtus primùm, ſeu Polonus Rex electus eſt; ſed regnante Michaële non minùs infelix fuit Polonia.

Ut enim ſub Joanne Caſimiro præter exteros hoſtes civilibus ſemper motibus agitata fuerat Respublica, ſeptemque Comitia rupta Georgii Lubomirſcii Regni Mareſchalci factionibus; ſic Prazmowſki Primatis & Sobieſcij Ducis Exercitus aſpernatium Regem Partibus, intrà quatuor annos, quatuor rupta ſunt Comitia. Camenecia quoque capta eſt à Turcis Anno 1672., & indecora adeò pax cum illis hoſtibus confecta eſt, ut totam illis Podoliam Poloni traderent, & quotannis 22. ducatuum millia ſolvere tenerentur.

Sub Joanne Sobieſcio Michaëlis Succeſſore eodemque *Piaſto*, arma quidem floruerunt, illâ præſertim memorabili Turcarum clade ad Chocimum, Viennâque ab Ottomanorum obſidione glorioſiſſimè liberatâ. Attamen nedum conditiones induciarum Anni 1667. immutare potuerit Sobieſcius, quasdamque Provincias ex tot conceſſis à Moſcis retraxerit; Kioviam urbem, terrasque adjacentes citrà Borysthenis Ripas perpetuâ pace ad Moſcuam Urbem, cæteris jam per inducias traditis

ditis adjungere coactus eſt Anno 1686.

Podoliam quoque, Camenecumq; propugnaculum non potuit recuperare, aut noluit. Utrumque Turcæ tenuerunt ad usque pacem Carolivici Anno 1699. ſub Auguſtb II. Joannis III. Succeſſore confectam. Tunc enim Podolia & Cameneceuſe propugnaculum Polonis reſtituta ſunt; fineſque Imperij utriuſque in perpetuum determinati.

Non minoribus autem factionibus ſub illo Joanne Respublica agitata eſt. Sex enim Comitia rupta ſunt; bellumque etiam civile exortum eſt ob diſſenſiones Sapiehanam inter Domum, & Magnates Lithvaniæ.

Mortuo Joanne III. Anno 1696. Comitia Convocationis rupta ſunt. Anno ſequenti Votorum ſciſſio in Principem Contium & Auguſtum II. Saxoniæ Electorem: unde *Rokoß* extitit pro Principe Contio à Primate proclamato. Sed Contij diſceſſu, pax cum Rokoſianis facta eſt, & omnium Ordinum conſenſu electionis diploma in Comitiis Anni 1699. Auguſto II. traditum eſt.

Sequenti anno duo Comitia rupta ſunt propter Civile bellum in Lithvania contrà Comites Sapiehas. Ordines præthereà

 acri-

acriter instabant ut Saxonicus exercitus è Regno educeretur. Rex enim inconsultis Ordinibus quidem, sed tamen ex consilio Magnatum, copias suas proprias in Livoniam contrà Svecos conduxerat. Inde bellum acerrimum Augustum inter & Carolum XII. Sveciæ Regem nondum 20. annos natum. Hic septemtrionis Alexander armis suis, Majorisque Poloniæ & Maroviæ Palatinatuum Confæderatione, Fridericum Augustum è Throno dejecit, & in ipsius locum suffecit Stanislaum Leszczyńskium Palatinum Posnaniensem Anno 1704.

Huic novo Regi per solemne renuntiationis diploma Petricoviæ datum Anno 1706, sic jubente victore Carolo, Regno Polono cessit. Sed deleto ad Pultavam Caroli exercitu, Augustus II., in Poloniam à Sendomiriensibus Confæderatis revocatus est; & sub Mareschalco illius Confæderationis Stanislao Denhoffio, præstantissimo in Republica Viro, quique per continuos decem annos in tanta rerum perturbatione rebus publicis præfuit, in Regnum restitutus Anno 1709.

Quæ ad arma spectant non ultrà tentabo: quandoquidem eò scitu digniora, quò recentiora sunt. Quæ enim ab ineunte

unte sæculo decurrente bella gesta fuêre, non sine dedecore possunt ignorari. Quãobrem non hîc summatim perlegenda, sed attente in generalibus scrutanda Historiis, fideliq; mandanda memoriæ. Nunc ad Civilem statum redeo.

Jam suprà diximus sub Joanne Casimiro integerrimam servare libertatem Polonos maluisse, quàm Reipublicæ providere malis; ideòque liberrimam *Sicinscij* vocem, licet privatam non rejecisse. Jisdem de causis, quibus admissa est, non abrogandam judicavimus; sed soli abusui obstandum

Non nostrum est perpendere utrum *abusus* fuerit nec ne; sed ab illa intraductâ liberâ voce, res in annalibus publicis colligendo, septem Comitia rupta sub Joanne Casimiro; quatuor sub Michàéle, septem sub Joanne III., & 30. sub duobus Augustis rupta reperiuntur; & pleraque eorum maximo Reipublicæ detrimento, difficilimisque temporibus.

Non semel hoc sensit Polona Nobilitas, & præsertim sub Michàéle Anno 1670. Etenim *Equestri Ordine*, ut scribit Zawadscius in Historia sua Arcana, *ruptorum tot Comitiorum jam pertæso, Nuntij ipsimet se se solenni Sacramento obstrinxerunt*

runt de non convellendis convitiis illis, (de privatis diſſenſionibus agebatur) *& ſi publica ita neceſſitas, fataque ferrent, ut quis in eum auſum diſcingeret conſcientiam, non in conclavi Nuntiorum, ſed in Senatu eâ temeritate uteretur, tanquam totâ coram Republicâ, dareturque ſpatium Reipublicæ fatali periculo obviam eundi; inquantum verò in atrio libertatis, eo furore præceps & contumax uteretur; non ideò cæteris facultas eriperetur ſtatuendi de Republica; neque Mareſchalcus Equeſtris à munere diſtribuendarum vocum ceſſaret; exceptis judiciorum cauſis, in quibus valere deberet ejusmodi proteſtatio. Nihilominùs paucis poſt diebus Zabrokrzyccius Nuntius ex Palatinatu Bracſlavienſi, factione Magnatum corruptus, Sacramenti ſui immemor Comitia frivolo prætextu præfractè rupit.*

Quare, interrogabo, juxtà Sacramenti Regulam, & juris-jurandi tenorem, non neglectâ ſpretâque iſtius Nuntij proteſtatione, à diſtributione vocum ceſſavit Mareſchalcus; nec Nuntij Comitia proſecuti ſunt, ſed irritis abiêre. Quantum res ardua ſit exinde conijcias.

Quamvis autem major indies fuerit Comitiorum ſolvendorum licentia, non paucoſque *Sicinſcius* habuerit Succeſſores; ab

ab Annis tamen 108. ex quò ſtat, graviſſimas ſanxit leges *Unanimitas*.

Omnes enim antiquas reaſſumpſit & ampliavit Conſtitutiones. 1*mo* de libera electione. 2*do* de Legibus ferendis. 3*tio* de informandis Judiciis. 4*to* de ærario Regio & Publico. 5*to* de bello, & de omnibus quæ ad arma pertinent. 6*to* de Dignitatibus conferendis tùm Eccleſiaſticis tùm Sæcularibus. 7*mo* denique de Conventuum & Comitiorum Convocationis forma, variiſque ſolennitatibus.

Sic acerrimè ab illis ſeptem Regalis potentiæ juribus vindicatâ libertate, quam Sapientiſſimè Reipublicæ bono ætas illa conſuluiſſet, ſi ſtabilem vim inconcuſſamque ab illa leges obtinuiſſent authoritatem.

Plurima quoque, & gravia quidem, de novo conſtituit *unanimitas*. Ex illo enim tempore non jam Regibus fas fuit deſerere Regnum, aut abdicare. Aliæ ſunt Dignitates, quæ ſimul obtineri & exerceri poſſunt; aliæ incompatibiles. Non in eadem Domo cumulari debent; ſed præſcripto tantùm poſt temporis intervallo, iisdem Familijs conferendæ.

Omnia Reipublicæ munia, omnes Honores, omnes præfecturæ, aliaque Regia Bona

Bona, vel ſub infamiæ pœna in Poſſeſſores, Dignitatumque aut Bonorum amiſſione, ad cujuslibet Nobilis delationem; gratis omninò & bene meritis, ad legumque tenorem idoneis diſtribuenda ſunt. Duæ tantùm magni momenti præfecturæ præſtantibus viris deſtinantur, cæteræque in diverſos partiendæ; & irrita cadunt in Electionis ſuæ ſpem à Rege aut data, aut promiſsa.

Lithvaniam prætereà inter & Poloniam jurium inſtituta eſt coæquatio; ternisque vicibus Grodnæ habenda Comitia, modò in præcedentibus Varſaviæ Mareſchalci Electio præceſserit.

Senatus Conſiliorum Ordinatio & objectum præſcripta ſunt; itidemqud relationum co[illegible]itiola.

In omnes Eccleſiaſticas Dignitates jus Regium firmatum eſt. Diſſidentes in Religione à Conſiliis muniisque arceantur publicis: fundationibusque Academiarum præſcribitur modus.

Denique novus inſtruitur exercitus; militaria quotannis certa ſtatuuntur ſtipendia; ſtrictiorque Copiarum diſciplina imperatur.

Quinimò nova ſuperaddita eſt Regiminis forma. Anno enim 1656. ſub Joanne

annè Caſimiro, quidam Palatinatus pro Rege & Republica exteros adversùs hoſtes defendendis, *Tyſzovecenſi* inito fœdere, animos & vires ſuas conjunxêre.

Exinde ortæ ſunt vivente Rege Confœderationes, quales poſteà fuerunt *Golembienſis* ſub Michàéle, *Sendomirienſis* & *Tarnogrodienſis* ſub Auguſto II. & *Varſavienſis* ſub Auguſti III., Regni initio. Quæ quidem fœdera diverſa ſunt ab illis Generalibus Ordinum Confœderationibus, quæ per interregna in Comitis Convocationis fiunt pro tuenda interna Patriæ ſecuritate donec Rex novus electus fuerit. Sed quoniam ſub illis Palatinatuum fœderibus armis res utique & Conſiliis agitur, nec abſtinetur à belli furoribus & ſceleribus, ſpeciali abrogatæ ſunt lege Anno 1717. illæ Confœderationes.

Ex illis autem nata ſunt *magna conſilia*, in quibus, ſtante fœderis vinculo, Mareſchalci Legatorumque Senatorij & Equeſtris Ordinis Votorum pluralitate publicæ res ordinantur; quorum ſtatuta, etſi inter Conſtitutiones non referantur, vim tamen Legum obtinent. Quamvis verò iſta Conſilia ſæpiùs ſub Confœderatione fiant; ea tamen Rex, aut ex Senatûs Conſulto, aut ex Comitiorum voto & conſenſu, con-

vocare poteſt: quale magnum fuit Anni 1678. Conſilium.

Non raro etiam in Communem Comitiorum formam vertuntur, & tunc requiritur Votorum *unanimitas*. At cum iſta Conſilia pluralitate regantur, nulla hucuſque irrita fuerunt. Non enim, ut ajebat quidam Summi Pontificis Legatus, *morbo laborant Comitiali*; ideòque excogitata ſunt, ut in Reipublicæ diſcriminibus, liberæ vocis inconſtantiæ obviaretur.

Præcipua aliunde, ut jam dictum eſt, pacis fædera cum exteris Dominationibus ſub illa ultima Democratiæ Parte confecta ſunt; & diverſis deinde temporibus renovata & confirmata, Poloniæ Fines, quales nunc extenduntur, circumſcripſerunt.

Licèt autem de ſingulis illis perpetuæ pacis tractatibus loco ſuo egerimus, breviter hîc & ex ordine uniuscujusque ſeriem referre non vanum ducimus: quo faciliùs cum vicinis Gentibus Reipublicæ jura explanentur. Ut igitur primò de Velavienſibus Pactis agam, rem totam cum Ducibus Brandeburgicis revocabo.

Quod Pruſſiæ feudum Anno 1525. Alberto ultimo Crucigerorum Magiſtro Sigismundus I. tradiderat, deficiente illius

Prole

Prole, Joanni Sigismundo ex linea Electorali Sigismundus III. Anno 1611. in Comitiis Varſavienſibus contulit. Sicque in Electoralem Domum transiit Pruſſiæ Ducatus.

Quadraginta & ampliùs poſt annis Fridericus Vilhelmus, etſi Dux fiduciarius Regni, initâ cum Carolo Guſtavo ſocietate, qui tunc Poloniam vaſtabat, eâ lege cum Svecis vires ſuas, & arma junxit, ut quasdem bello occupatas Reipublicæ Provincias ſibi retineret. Hoſtium multitudine involutus Rex Joannes Caſimirus, à Svecorum fædere Electorem avocare tentavit; quod tandem perfecit Velaviæ Anno 1657.

Pacis autem illius Conditionibus Elector ille Brandeburgicus Supremus Dux Pruſſiæ declaratus eſt. Jlli prætereà in feudum conceſſi ſunt Lavenburgicus & Butovienſis Ducatus eodem jure, quo veteres Pomeraniæ Duces eos obtinuerant à Sigismundo I. Anno 1526. & tenuerant usque ad Bogiſlai XV ultimi Ducis mortem ſub Vladiſlao IV. Anno 1637: quo tempore duo iſti Ducatus Pomereliæ Palatinatui reſtituti fuerant.

Pro belli verò ſumptibus, præſtandis-

que

que auxiliis quadringenta Imperialium millia expostulavit à Rege Fridericus Vilhelmus; in quorum pignus tradita est Electori Drahimensis Præfectura, & Elbinga cum agro suo remittenda, ubi primùm ab hoste reciperetur. Sed Pace Olivensi cum Svecis confectâ, Polonum præsidium Elbingam occupavit; & ideò Electori juxtà Pactorum fidem non permissa est, quod nulla adversùs neque Svecos, neque Moscos auxilia præstitisset.

Nondum igitur numeratâ à Polonis pecuniâ Anno 1698. Elbingam armis Brombergensis jure fæderis invasit Fridericus III. Sed ad mentem Comitiorum anni sequentis, promissis à Reipublicæ Commissariis Imperialium trecentis millilibus intrà tres menses post futura Comitia exsolvendis, (quæ tamen ad hanc usque diem supersunt numeranda) receptisque in eorum pignus aliquot Coronæ gemmis à Zaluscio Varmiensi Episcopo Anno 1700. Elbingam restituit Elector Brandeburgicus.

Anno sequenti cum idem Princeps Regis Prussiæ Titulum assumpsisset, Regiamque sibi ipse & Uxori suæ Regio-monte imposuisset Coronam; salva ex integro Velaviensia & Brombergensia fore cum Re-

Regnô Poloniæ pacta actu publico declaravit, novamque suam Dignitatem Reipublicæ juribus non obfuturam.

Rebus sic compositis cum Prussiæ Rege, quid cum Svecis actum fuerit inquirendum. Ab initio belli, quod per centum variis renovatis induciis stetit annos, Moscis sub Augusto Sigismundo Livoniam vastantibus, Ensiferi Equites sub Magistro suo Gothardo Kettlero cum Lithvanis primò fædus inierunt, ut communem hostem propellerent. Posteà se Regi Sigismundo Augusto, ut Magno Lithvaniæ Duci, Anno 1560. tradiderunt; & denique eidem Principi, ut Regi Poloniæ eâ lege se se dederunt, ut totam Livoniam Trans-Dunanam pleno Imperio possideret; Curlandiã verò & Semigalliam Ducatuum titulo in feudum retineret Gothardus Kettlerus, eamque hæreditario jure Masculæ Proli suæ transmitteret.

Interim Revaliensibus Svecos in auxilium contrà Moscos advocantibus, Sveciæ Rex Joannes in Livoniam transiit; occupatisque pluribus oppidis cruentum & diuturnum bellum inchoavit. A triginta propè annis jam steterat, cum Sigismundo III. Joannis Filio Poloniæ Rege electo, instaurandæ pacis & Livoniæ recuperandæ spes fuit. Sed

Sed Joanne mortuo Anno 1593. Carolus Sundermaniæ Dux Sigismundi Patruus Regnum Sveciæ affectare cæpit; obtentuque Religionis Nepote suo rejecto, Comitiis generalibus Anno 1600 Rex renunciatus est. Acrius inde recrudescit bellum in Livonia; cui tamen finem imposuerunt Anni 1635 induciæ; Et recuperatis in Prussia oppidis, totam Livoniam Svecis ad Dunam usque Vladislaus IV. tradidit.

Vano ex prætextu Anno 1654. Polonos inter & Svecos renovatum est bellum. Christina Gustavi Adolphi Filia, postquam octodecim regnasset annos, Imperij tædio Regnum Sveciæ abdicavit; & cognato suo contulit Carolo Gustavo Principi ad Rhenum Palatino, nec non Caroli IX. per Matrem suam Nepoti.

Cum autem illius Coronationi actu publico contradixisset Joannis Casimiri Poloniæ Regis Legatus, ut Joannis in Svecum Regnum jura servarentur; tanta indignatione excanduit Carolus, ut Poloniam armis invadere sibi proposuerit; multisque cladibus & depopulationibus eam per sex annos affecerit. Tandem mortuo Carolo Gustavo, in Olivensi Monasterio sub mediatione Galliæ Anno 1660 perpetua

petua pax composita est, juxta conditiones induciarum Anni 1635.

Ineunte autem Sæculo præsenti, iterum bellum cum Svecis actum est. Recipiendæ enim Livoniæ jus & occasionem non prætermittendam ratus Augustus II. Anno 1700, copiis suis Saxonicis Livoniam invasit. Unde bellum per novem annos, cujus exitum anteà retulimus; & tandem pax Svecos inter & Polonos mutuis damnis oblivioni datis, Anno 1732. juxtà Olivense fædus omninò redintegrata est.

Subsequitur pactum cum Moscis ad Moscuam Urbem Anno 1686. sub Joanne III. confectum. Longum autem esset Moscorum bella cum Polonis recensere. Ab antiquioribus enim sæculis Polonorum hostes fuêre & Lithvanorum. Ab utrisque autem sub tribus Boleslais *Chrobri* scilicet, *Audacis* & *Krzywousty* Nomine, & Casimiro Magno non semel profugati, omnes Provincias suas cis Borysthenem à meridie ad Septemtrionem amisêre. Sub duobus posteà Sigismundis, Jagellonibus, sub Stephano, & Sigismundo III. induciæ bella, bella inducias variis temporibus excepêre. Pace autem cum Vladislao III. initâ, Smolenscum, Severiam, Czerniechoviam

viam, & Ukrainam totam Poloniæ Regi tradiderunt.

His verò Provinciis pacto Andruſzovienſi ſub Joanne Caſimiro Anno 1667. recuperatis, Kiovienſem etiam Urbem, cum ſubjacentis agri parte determinatâ cis Boryſthenem, ſupradicto fœdere Moſcovienſi obtinuerunt. Quod quidem fœdus arctiori vinculo noſtris temporibus Annis præſertim 1704. 1716. & 1733. cum Moſcis renovatum eſt.

Pactorum cum vicinis Ordinem proſequendo, ad Carlovicenſe pervenimus; & pauca de Turcis addenda.

Ex quò Gens illa è Caucaſi rupibus in Pseudo-prophetæ Succeſſores Mahometæ irruens, totam eorum in Aſia & Africa ſubvertit potentiam; in Europam quoque tranſiit, captâque ſub Mahometo II. Anno 1453. Conſtantinopoli, Romano in Oriente finem dedit Imperio.

Exinde cunctis imminens Chriſtiani Nominis Regibus, longè latèque arma ſua circumtulit. Thraciâ primùm, Macedoniâ, totâque Græciâ occupatis ad meridiem, furores ſuos, ridendamque fidem in occidentem vertit & Septemtrionem.

Hæmo igitur monte ſuperato, Mæſiam utramque, Daciam, Scythiamque ad Iſtri oſtia

oſtia ferro & igne peragravit; Iſtroque tranato per Getarum, Peucinorum, Baſtarnarumque Regiones irrumpens, ad Hieraſum, Tyram, Hiſpanemque fluvios usque pervenit; meridionalesque Poloniæ Provincias non ſemel invaſit, & deprædata eſt.

De Turcis autem prima mentio eſt in Hiſtoria Polona ſub Vladiſlao III. Jagellonis Filio, Poloniæ ſimul & Hungariæ Rege. Is quidem Ottomanidarum copias primo prælio ita profligaverat, ut ad pacem petendam Amuratum II. compuliſſet. Sed violata fœderis fide, Juliani Cardinalis conſilio, juſſuque Summi Pontificis, iterato bello, cum omni exercitu ad Varnam cæſus eſt; & vix primum & vigeſimum agens annum fortiter dimicans occubuit.

Ex illo tempore per 250: propè annos ſub Jagellonibus, & præſertim ſub Stephano, Sigismundo III., Vladiſlao IV., Joanne Caſimiro, & Joanne III, non infrequentibus belli & pacis vicibus, plures Poloniæ Provincias occupaverant.

Tandem ultimo ſuperioris ſæculi anno ad Carolivicum de pace perpetuâ actum eſt, ſub Belgarum & Anglorum mediatione: ſervatiſque Moldaviæ & Valachiæ Palatinatibus, Camenecum, Podoliam, Ukrai-

 nam

nam, & quidquid ſub Joanne Caſimiro invaſerant, Poſonis Turcæ ceſſerunt: certique utriusque Imperij fines meridiem versùs deſcripti. Hujus autem pacis conditiones Chomentovij Mazoviæ Palatini operâ Anno 1714. renovatæ & confirmatæ ſunt.

Quoniam verò Auſtriacæ Domus Poſſeſſiones à meridie ad occidentem Poloniam circumeunt, ſupereſt ut pauca de Pactis cum Germanis Cæſaribus dicamus. Sed ne antiquiora referam, arctiorem tantùm obſervabo Cæſares inter & Poloniæ Reges ex ſtirpe Jagellonica amicitiam fuiſse, mutuaque connubia.

Nec prætermittenda cenſeo celeberrima illa Luceoriæ Anno 1429. ſub Jagellone, ſeu Vladiſlao II. Co itia, in quibus adfuit Sigismundus Imperator nec non Hungariæ Rex, cum Daniæ Rege, cum Magno Lithvaniæ Duce, cum Mazoviæ Principibus, cum Summis Crucigerorum & Enſiferorum Equitum Magiſtris, & denique cum Turcarum Legatis, Regulisque Tartarorum.

Duplices quoque illas præſertim memorabo ſplendidiſſimas Viennæ Nuptias Anno 1515. quæ ſtrictiori vinculo utramque Domum conjunxerunt, duoque Regna Auſtri-

Auſtriacis in poſterum contulêre. Sigismundus enim Poloniæ, & Vladiſlaus Frater illius Hungariæ & Bohemiæ Reges Maximilianum I. Imperatorem Viennæ ſimul tunc temporis convenerunt: ibi Ludovicum Vladiſlai Filium Mariæ Cæſaris Nepti; Annamque Ludovici Sororem Ferdinando Mariæ Fratri Matrimonio conjunxerunt. Hujus posteà Ferdinandi Eliſabetham Filiam Anno 1545. Sigismundus Auguſtus duxit uxorem. Inde fædus Maximilianum I. inter & Sigismundum I. auxiliaque in Teutonicos Equites & Moſcos promiſsa.

Sed extinctâ Jagellonicâ ſtirpe, ex quò Auſtriaci Principes variis interegnis Polonum Regnum ambierunt, Polonos inter & Auſtriacam Domum levior fuit neceſſitudo. Inde maximi motus domeſtici ſub Sigismundo III. & Vladiſlao IV. Regibus, quod inconſultis Ordinibus uxores in illa Domo quæſiſſent. Sæpiùs tamen posteà adversùs Turcas cum Germanis Imperatoribus fædera, fuêre, præſertim ſub Joanne III. Anno 1683, & ſub duobus ultimis Auguſtis.

Hæc ſunt præcipua quinque fædera cum circumſtantibus Dominationibus ſub *unanimitatis* tempore confecta; quæ ſeriò qui-

quidem pensanda sunt, ut rebus ab origine cognitis, quid æquo jure concessum, quid necessitati datum quid denique armis extortum fuerit dignoscatur. & pro varia rerum serie, veris Reipublicæ juribus & commodis consiliis utique & armis prospiciatur.

Denique præter hæc omnia, quæ ad *unanimitatem* retulimus referenda est quoque Comitiorum *limitatio*. Hanc autem novam consultandi formam ipsa necessitas, rerumque multitudo introduxit. Ab anno enim 1690. sub Joanne III. ad Annum 1712. aut omnia rupta, aut nulla fuerant Comitia propriè dicta.

Siquidem in Comitiis Anni 1699. ea tantum Decreta fuerant, quæ ad Ordinum pertinebant pacificationem, electionemque Augusti II., conciliatis obtrectantium animis, legitimandam. Sub initio autem decurrentis sæculi gravissimo fervente per novem annos bello cum Carolo XII. Sveciæ Rege, ut anteà diximus, factionibus diversis, armorumque strepitu perpetuo agitata est Respublica; & sub confœderationum vinculo omnia peragebantur.

Sed revocato in Regnum Augusto II. Anno 1709. post Pultaviensem victoriam, confœderati Sendomirienses, convocatis Varsa-

Varsaviæ in proximum annum Ordinibus, magnum consilium habuerunt. In illo autem consilio percelebri, (cujus unius statuta inter Constitutiones referuntur) omnia Sendomiriensis confœderationis acta & Decreta suffragiorum pluralitate ratahabita sunt in gratiam Regis, nullaque alia magni momenti sancita.

Stante igitur per duos adhuc annos Sendomiriensi fœdere, ut consvetus consultandi modus reduceretur, extraordinaria Comitia duarum tantùm hebdomadum Anno 1712. convocata sunt. Cum autem majora in illis & numerosiora ordinanda essent, decretis quæ magis instabant, in duas partes Comitia distribuere Ordinibus visum est; & cætera, quæ superant statuenda, ad alteram partem sub eodem Mareschalco, iisdemque Nuntiis, indictâ die ultimâ Decembris, celebrandam reijcere. Talis fuit prima Comitiorum sub Mareschalco Denhoffio *Limitatio*, illiusque origo & causa.

Licet autem altera pars Comitiorum ad præscriptam diem Varsaviæ incæpta, Magnatum Ministerio, exasperatisque Nuntiorum in Saxonicum exercitum animis, protestatione unius in Aulæ gratiam soluta fuerit; Attamen quæ in Superiori parte

parte constituta fuerant, vim Constitutionum & auctoritatem obtinuerunt. Qui quidem usus recens renovatus est in consiliis Annorum 1718. & 1724, quæ pariter limitata sunt, ut magis patebit ex illorum Comitiorum descriptione.

Ab Augusti reditu, dum Carolus XII, deleto ad Pultavam exercitu, Tynginæ juxtà Tyræ ripas per quinque annos commoraretur, intrà Poloniam Saxonicæ copiæ permanserant. Quod cum ægrè admodum ferret Nobilitas, dimittendas illas quam primùm, nunquamque revocandas vehementiùs indies efflagitabat. Sed non emigrantibus Regno Saxonibus, ad arma in eos passim concursum est: animorumque ægritudo & diffidentia in apertum exarsêre bellum.

Plures enim Anno 1715 Minoris Poloniæ, & Russiæ Palatinatus cum exercitibus Regni & Lithvaniæ sub Mareschalco Generali Stanislao Leduchowscio ad *Tarnogrodam* confæderati sunt. Vario marte utrinque dimicatum est per 18. Menses; nec semel de pace consultum.

Tandem Magni Russiæ Czari mediatione, Lublini primùm, posteà Casimiriæ, & denique Varsaviæ tertiâ Novembris die conventum est Anno 1716. Ibi aderant pro

pro Rege Chomentovius Mazoviæ Palatinus, Szaniavius Episcopus Cujaviensis, & Comes Flemingius Exercitus Saxonici Supremus Præfectus; à Czaro Moderatore Princeps Dolgorukius; & à Confæderatis generalis fæderatorũ Mareschalcus Leduchovius, Mareschalci Equestris Ordinis, & alij Consiliarij, & Oratores quam plurimi.

Constitutis hos inter pacificationis omnibus punctis, nec non variis futuræ Constitutionis descriptis articulis, pax à Rege & Confæderatis ratahabita est 13. Januarij Anni 1717., & ut convenerat, Comitia convocata sunt ad 1*mam* Februarij diem.

Tota igitur Confæderatio generalis, quæ tunc Lublini erat, ad præscriptam diem Varsaviam tendens, conversa est in Comitia pacificationis; & intrà septem tantùm horarum spatium amplissimas, & maximi ponderis leges ordinavit. Omnia enim priùs in tractatu Varsaviensi inter legatos disposita & decreta fuerant; & ideò tantùm convocata erant Comitia, ut pacta comprobarent & confirmarent.

Non libero veto consultum est; non admissæ sunt distributivè Ordinum voces: neglectæ omninò Nuntiorum protestationes, spretaque est vel ipsius Primatis contradi-

tradictio de oppressâ Republicâ clamantis.

Omnia enim Patriæ mala imminebant; major erat omnium confusio, nimia ægritudo animorum, sævior privatorum commodorum, affectuumque diversitas, quam ut *unanimitas* quæreretur: vix, vel speciali Divino Numine, sperari potuisset.

Gordianum igitur vinculum illud tunc solvit *necessitas*, quæ vel legem frangit, nedum *abusum* veneretur: & prout scriptæ à Commissariis & legatis fuerant, lectæ sunt, perlatæ, typisque mandatæ Constitutiones. Omnes confœderationes, quæ hucusque steterant, abrogatæ sunt; & ut nullæ in posterùm fierent, decretum; probatoque in omnibus articulis tractatu Varsaviensi, salutaria Reipublicæ sancita sunt.

UTINAM istorum Regis & generalis confœderationis Legatorum auctoritas & prudentia, in tractatu illo Varsaviensi, totam de novo Reipublicæ formam stabilibus posuissent fundamentis, quæ vis, audacia, ambitio, & *amor sceleratus habendi* quatere non valerent. Utinam omnes publici boni, non minùs quam libertatis partes discutiendo, securitati, utilitati, gloriæque simul Patriæ consuluissent; nec tria ista permisissent levitati *liberæ vocis*, & inconstantiæ. Quo-

Quoniam autem publica securitas ex legum præsertim pendet executione, imprimis profectò sensisset confœderatio illa generalis stabiliendam esse in perpetuum legum auctoritatem. Omnibus igitur accuratè perpensis, SACRUM QUODDAM ET SUPREMUM instituisset DE LEGIBUS TUENDIS TRIBUNAL, cujus integritate summâque potentiâ Constitutionum vis Regi æque ac Civibus superior, ambitionis & cupiditatis refrenasset impetus; & sub solo legum Imperio veram utique libertatem, bonumque publicum asservasset.

Non minori posteà diligentiâ status confœderati judicassent, pro tantæ Gentis dignitate, honore, & tranquillitate, ÆRARIO PUBLICO providendum. Annuos illius proventus publicis adæquasent sumptibus. In illis colligendis, quæstoribus æquum præscripsissent modum; varias in varia expendenda summas destinasent; descriptaque fideli de reddendis rationibus methodo, totam ærarij publici ordinasent æcon miam.

Sic instituto de Legibus servandis Supremo illo Tribunali, amplificatoque & composito Reipublicæ Ærario, Sapientis

for-

formam Regiminis instauraſsent Ordines. Ex legum enim auctoritate & ærarij copiâ totum conſtat Imperium, & ex utraque, veluti ex duabus fodinis abundantibus, publica extrahitur felicitas. Hucusque fuſiùs jam de legum diximus utilitate; ſupereſt ut de neceſſitate ærarij graviora ſubijciamus.

In quovis ſtatu, ut experientia conſtat, in publicum plura ſunt expedenda, quæ in Patriam cadunt; quæque ſola imperare, & ſuppeditare poteſt; eaque eò majora ſunt, quò potentior eſt Natio.

Patria ſiquidem communis eſt Mater Societatis. Cives omnes, uti Filios, alere debet, inſtituere, tueri, eorum providere commodis, totiusque Familiæ invigilare proſperitati. Cum autem hæc omnia absque ruina Societatis, privato arbitrio committi nequeant, (privatis tantùm pro humana cupiditate de privato bono cogitantibus,) communis illa Mater Patria proprium habeat neceſse eſt ærarium publicis ſumptibus expendendis longè uberius, nedum impar.

Quoniam autem in ſinu & ſub tutela iſtius tenerrimæ Matris felices, ſecurique concives bonis ſuis fruuntur; ſuæ iſti optimæ Parenti Civis unusquisque pro facultatibus ſuis præſtare tenetur auxilia, quibus mediantibus publica ſua munia adimpleat. *In ſylvis, mediosque inter urſos, & ab omni exulet Societate, quicunque commoda & jura illius, abnegato Patriæ felicitatis ſuæ pretiô, partiri expoſtulat.*

Sic ſentiebat olim ZAMOYSCIUS, *Vir ille Poloniæ Decus, & hominis gloria.* Sed cum ad ſtipendia ſolvenda non promptos videret Polonos, illud ſaltem propoſuit in Patriæ gratiam, ut quas tunc extrà Boryſthenem Respublica Provincias occupaverat, ſibi in Patrimonium retineret; undè pro publico bono haberet expendenda.

Nunc verò cum Regiones iſtæ, perpetua pace Moſcovienſi, Ruſſico ſubjaceant Imperio, aliunde Regni peculium quærendum erat. Alterutrum igitur elegiſſent Varſaviæ confæderati Ordines; vel enim tot præfecturas reſervaſſent, quot neceſſariæ forent ſumptibus publicis exſolvendis, aut computatâ ſtatutâque expenſæ ſummâ totali, in ſingulos eam Cives, uniuscujusque facultate perpensâ, diſpertiendam judicaſsent.

Publicas autem enumerando expenſas, non leviorem exercitum & propè inutilem conſcripſiſſent; vixque adeò numeroſum, qui privatos & internos compeſcat motus

motus; qui legum & judiciorum ſtatuta & decreta jubeat exæquenda; qui pacem in ſingulis Provinciis retineat inter Cives; qui denique pudendos illos hoſtes (Haydamacos dico) non delendo, ſed ſaltem à ditiſſimis Imperij arcendo Provinciis, fortunas vitamque ipſam vel præſtantiſſimorum Civium ab illius fætidæ colluviei rapinis & furore defendat.

Sed Gentis ſuæ bellicam indolem, ſed Majeſtatem Patriæ & ſplendorem conſiderantes, illum ordinaſſent exercitum, qui his omnibus peractis quæ ad Civilem Statum pertinent, numeroſo etiam milite, laboribus indurato, bellicisque inſtructo artibus, jura Gentis in quemcunque hoſtem vindicaret; qui hoſtiles cujuslibet Potentiæ copias contunderet Poloniæ Terras invadentes; qui denique, Regni finibus præpotenti firmatis præſidio, Polona arma cæteris Europæ Dominationibus conſpicienda oſtenderet, & verenda.

Ea eſt enim noſtris temporibus armorum præſtantia, ut ex illis populorum non minùs ſecuritas, quam gloria pendeat. Non priſco illo Avorum noſtrorum more, ſed arte ſummâ bellatur. Nunc virtus ipſa & fortitudo Induſtriæ cederet.

Bello

Bello Polona Gens nata eſt; non mercaturam, non commercia novit. Armis juventutem ſuam exerceat. Non ut belli furoribus Patriæ extendat fines, (procul enim hinc prædatores Terræ) ſed ne ignavo otio, lentâque marceſcat inertiâ; non minusque ab exteris ferro, quàm in Comitiis legum ſtudio, & amore intactam ſervet libertatem.

Primò igitur militaris ſurrexiſſet æmulatio. Ærario enim publico ad æquam extenſo amplitudinem, conventus ille generalis ad 50. armatorum millia & ampliùs compleviſſet exercitum; moderniſque eum imperaſſet aſveſieri exercitationibus. Tum vetera reparaſſet propugnacula, & nova confeciſſet pro locorum ſitu, & rei neceſſitate.

Sic Polonam juventutem armis informando, honorificis fovendo ſtipendiis, muniisque & inſignibus per varios gradus militares decorando; quæ vectigalibus, tributis, aut Proventibus Præfecturarum annuis accepiſſet Republica, in diverſos rivos communi omnium utilitati diſtribuiſset. Eodem quoque tempore ab exteris, civilibusque bellis ſecuram Patriam præſtitiſſet, Gentisque propagaſset Gloriam.

Non

Non minùs illa Confæderatio generalis litterarum providiſſet progreſsui. Vel leviſſimè enim attendendo intellexiſſent Ordines cruentam tantùm & rapacem, aut ignavam & ſocordiæ deditā eſse Gentem, quam Muſæ non edocuerunt. Armorum furoribus Gens illa, aut corporeis duntaxat vacat voluptatibus, nullâ quidem amænitate conditis. Suas, ut Bruta habet illecebras, quas ſola indidit natura. Variis agitatur modis, ſomnos capit, & excïtatur; comedit & exhaurit potus: venatur, ſaltat, & venereo immergitur commercio, non blanditur amoribus: cæcis uno verbo motibus abripitur; depreſsâque mente ad *inſtinctûs* ſortem, vix habet quod à Brutis eam ſegreget, ſi turpem avaritiam, veſanumque exceperis faſtum.

Tales fuêre celebriores omnes antiquitatis populi Ægyptij, Græci & Romani, antequam Litterarum eos perpoliret urbanitas. Tales per decem propè ſæcula omnes fuêre Europæ Gentes, quæ Romano Imperio diverſis temporibus lacerato & deſtructo, barbarie ſuâ, ſtupendâque ruſticitate Muſas procul fugaverant.

Inde tanta in Hiſtoriis confuſio; nihilque certi de primordiis Nationum & originibus. Inanes undique & ridendæ fabu-

fabulæ, ſicut olim de fonte Nili priùsquam detegeretur. Varii furebant inter ſe Populi, amentique ferociâ ſeſe invicem trucidabant, & terras nullo conſilio, nullâque utilitate deprædabantur.

Non bellica virtus, non laurus Victoriæ, nec exiſtimationis & famæ ſplendor; ſed ferina rabies, ſed vilis rapina, ſed Leonina ſanguinis humani ſitis eos ad arma ciebat. Cum ſcripto nihil dignum eſſet, nulli aderant ſcriptores; & ſi quæ eorum geſta ad nos usque pervenerunt, horrorem facti, non nominis laudem excitant.

Si ab armis ad Civilem deſcenderimus ſtatum, vis ſola regnabat & impudentia. Nullæ leges, quæ ſuum cuique ſervarent: non dulce, non utile erat. Nundum tecta, nundum cibos, nundum veſtes homini præbuerat artium induſtria. Antra ſylvasque habitabat, frondibus induebatur aut pelle ferarum; & licet ubique tellus divitias ſuas circumquaque prodiga porrigeret, ſylveſtribus herbis & agreſti glande nutriebatur.

Aſt ſupervenientibus ſcientiis & artibus nova & blandior terris illuxit dies. Dominum ſuum agnovit orbis. Suam ſenſit homo Dignitatem, ſuum in cuncta Dominium exercuit. Jlli, ut naturæ primoge-

mogenito inservierunt elementa; quæque anteà ignorabat inspiciebatque stupidus, in illius utilitatem, imperantibus Musis, & delicias cessêre.

Hic est verè cælestis ille ignis, quem è cælo Prometheus abstulit. His humanam *agitantibus* mentem nata est *GLORIA virtutis & industriæ parens* inde Societatis jura & opes: inde amor Patriæ; veræque pretium libertatis. Tunc eàdem lauro insigniti sunt qui Patriam armis tuebantur, & qui legibus eam & scientiis exornabant. Hinc apud quemque populum summos illos Viros cultu vel divino prosecutus est gratus Civium animus. Exinde, sicut à Brutis hominem Ratio distinguit, (quidquid contrà cæcus & atrox Materialistarum furor deliraverit,) sic mentis excellentia primos scientiarum & artium magistros communem suprà extulit, & semper evehet hominis conditionem.

Idcircò congregati Ordines facilè cognovissent, aut in posterum iisdem sentient temporibus, Musarum promotionem & artium non levem sibi meritò arrogare Summi Imperij curam. Aut Academias igitur reformassent, aut novas instituissent diversi generis civiles & militares. Varia præsertim quotannis in unaquaque publi-

publicis sumptibus statuissent præmia, ut pretio auri simul & glorià stimulante, litterarum & artium amor promoveretur. Sic excultà afflantibus Musis, artiumque liberalitate ditatà gente suâ Polonia non minùs scientiarum & Philosophiæ, quam libertatis Patriam præstitissent.

Nec hîc sententiam meam publicis de spectaculis rejecerim. Vanis nedum & futilibus annumeranda sint, æquam sibi Ministerii vindicant attentionem. Otiosæ quidem tantùm delectationis speciem præ se ferunt; sed re altiùs consideratà, non parum inserviunt ad informandam Gentem quamlibet, ad Societatem acuendam, ipsosque vel mores excolendos. Nec longo opus est discursu. Perpolitas inspiciamus gentes; omnes, vel Roma Christiana, spectaculis gaudent: & si quid elegantius nunc habet Gallia, illud præsertim, ut vetus olim Roma & Athenæ, Academiis suis debet & spectaculis.

At si Theatra publica ubique florent & desideranda sunt, Varsaviæ potissimùm, in urbe Regni capite, quàm maximè necessaria videntur. Huc enim còeunt Magnates & Nobiles; hâcque continuò transeunt externi. Prætereà unoquóque biennio ad illam urbem juncti confluunt Or-

L dines

dines, variarum tunc adſunt Dominationum Legati, totaque ibi convenit Imperii Poloni Majeſtas.

In ſumma verò illa Comitiorum frequentia, immane quoddam, (aperto ore dixerim) vacuum eſt in Societate. Tumultus quidem quàm maximus; at graviſſimis intenti rebus perpetuò agitantur, non recreantur Cives & advenæ.

Sunt frequentes, fateor, varios apud Magnates numeroſiſſimi cætus & ſplendidiſſimi; ſed partium ſtudiis, variis artibus, & captationibus obſcuris, ad negotia magis concurſus eſt pertractanda; quàm compoſita Societas ad exhilarandas mentes, blandoque colloquio defatigandas.

Si forent igitur Varſaviæ ſpectacula, juventus nondum negotiis aſſuefacta, variæ dignitatis Mulieres, ſelectioresque externi turmatim ad theatrum ceſſantibus curis tenderent; ibique veram inirent Societatem à negotiis ſemotam.

Quin & Senatores ipſi, variique Nuntii Terreſtres, peractis conſultationibus, in ſcæna animi quærerent remiſſionem, jucunditatemque familiaritatis. Huc tota brevi convolaret Civitas. Minùs ludi ſureret libido, largior minùs arrideret poculum, & voluptatis ingenuæ occaſione data, turpiori minùs Veneri Juvenes indulgerent. Omnium enim vitiorum parens OTIUM quo fugato ſubit urbanitas, amænitasque Societatis.

Nec eſt unde periculum adeat morum integritas & decentia. Dramata enim ſive Tragica, ſive Comica ſeveriori publicæ auctoritatis ſubjecta vigilantiæ, nil niſi honeſtum nunc habent & utile. In utriſque vel ipſâ Pòèmatum Conſtitutione virtus coronanda eſt, & deprimenda vitia.

Etenim grandia tonat Tragædia, Magnanimosque in corde excitat motus. Tiberium odio & Neronem; Titum & Trajanum admiratione proſequitur & amoribus. Æquitatem Principes, ſubditos fidem edocet. Amorem Patriæ, id eſt, BONI PUBLICI ſtudium, non minùs quam LIBERTATIS deſſenſionẽ, Reipublicæ Civibus imperat. Pietatẽ in Parentes, Religionis Cultum, ſacra amicitiæ vincula, contemptum auri, & gloriæ ſplendorem ubique prædicat, magnisque accendit exemplis.

At ſuperba minùs Comædia civiles tantùm exhibet mores; privatamque & communem peragit vitam, quam ridendo caſtigat. Omnes privatæ conditionis percurrit gradus, vitiaque earum & ridicula detegit, & dicacitate ſuâ graviter notat.

 Mari-

Maritos & conjuges, Matres & filias, Bellatorem & Judicem, Aulicum & Civem, plaudente cætu & in risus effuso, viciſſim inſtruit. Modò *Pſeudopii* depingit artes, aut anxiam *Alcatoris* ſortem & ruinam: modò *ſuperbi* faſtus, aut abjectum *Invidi* animum: nunc turpem *Avari* ſolertiam, illiusque inopiam medias inter divitias irridendam: nunc veſanos *Iracundi* furores, aut triſtes *Imprudentis* caſus enarrat. Omnia denique humani generis vitia ſuæ ſubjicit cenſuræ, omniumque exponit contemptui.

Talis eſt Theatri ordinatio in Gallia, totius Europæ conſenſu, cæteris longè anteponenda. Scenæ igitur publicæ uſu quàm maxima, & exoptanda fieret in Poloniâ immutatio. Romanis in Patriam ſenſibus cultior Juventus ſeſe aſsuefaceret, veræque Libertatis paulatim ſentiret & redamaret magnanimitatem. Horatios, Decios, & Mutios in ſcenâ laudibus extolleret, talesque Cives exoptaret Reipublicæ, & legum potentiam, ut publicam ſalutem veneraretur, & propugnaret. Dignioris denique Gloriæ præcupida, aurum & mortem contemneret, *publicoque bono* generoſiùs conſuleret quam *privato*.

Hæc in Patriæ gratiam conferret nobilis illa Theatri oblectatio: at non leviora præſtaret Societati. Primò quidem caderet otium, gravisque deſidia. Sæpius quin etiam ad ſpectaculum conveniendo, blandioriſque colloquii commercio, promptiùs & faciliùs in Reipublicæ bonum, averſi manſueſcerent animi; jamque non mendaci obſequii perſonâ, ſed divino amicitiæ nexu inter ſe connecterentur.

Non rari jam, nec vani ſermones, aut diræ in abſentes fabulæ; ſed novis quotidie ſubjacentibus cauſis, abundans eſset & amæna confabulatio, aut prudens & conſona diſsertatio de Reipublicæ ſalute & gloria gentis. Hinc inter cænam variæ fierent diſceptationes de geſtu, de voce & de actione Actorum: tùm de Poematibus variis, & eorum authoribus; tùm de Tragediæ aut Comediæ œconomiâ, ſcænarumque in diverſis actibus diſtributione: nunc de dictionis elegantiâ, verborumque delectu; nunc de reverentia morum, aut ſcientiarum gravitate. Denique quid ſibi magis placuerit, unuſquisque referret, ſelectiores notaret ſenſus, & acutè aut egregiè dicta in memoriam revocare tentaret.

Sic ſenſim informaretur guſtus, miteſcerent mores, tacitoque ſubreperet paſsu bonarum artium cultura & Litterarum.

Tunc

Tunc major foret doctrinæ & ingenii existimatio, quàm auri fames; major virtutis quam Dignitatis reverentia: tunc aureâ mentis & animi degustatâ voluptate, candidior esset Societas & beatior, quàm sub non benè compositi fastûs imperio, & inani divitiarum pondere.

Sæpiùs quinimmò, gratâ advocante & decenti voluptate, Varsaviam frequentarent Magnates & Nobiles, ibique diutiùs commorarentur. Inde novæ surgerent domus, nova Palatia, publicaque nascerentur ædificia in Civium utilitatem, & Civitatis ornamentum.

Tunc splendidiora PIETAS adornaret templa, variaque pauperibus & infirmis hospitia conderet. Plateas publicis distinctas fontibus NECESSITAS extrueret, porticibusque in diurni gratiam Commercii circumdatas.

Annis aut Belli furoribus fractis militibus victum HUMANITAS præstaret & tabernas conderet; quales in Prætorianorum usum construendas curavit Celsissimus, omnique distinctionis genere Clarissimus Princeps Czartoryscius Russiæ Palatinatus.

Areas denique triumphales, & Circos optimorum Regum, aut Civium Præstantiorum memoriæ GLORIA sacraret, eorumque in medio statuas venerationi offerret & æmulationi.

Jam non immenso squallentes luto, sed omnes stratæ lapidibus, & expurgatæ viæ publicæ faciles ubique præberent aditus. Quam ultrò tandem suscepit curam, urgetque opus Nestor ille Bielinscius, Vir Patriæ & exteris Carissimus, quem doctrina, virtus, comitasque morum magis etiam commendant, quàm generis splendor, Supremique Regni Mareschalcatûs Dignitas.

Per noctem quoque variis dispertitæ locis militum excubiæ publicæ invigilarent tranquillitati, cæcaque per umbras fugarent crimina. Tum denique suspensæ in viis, & pro necessitate temporum accensæ candelæ transeuntium commoditati lucerent, & securitati.

Eadem mente Status Varsaviæ congregati ad commercium properantes, præcipuæ illius Boni publici fontis utilitatem prospexissent, & amplificationem. Variis apta manufacturis loca selegissent, quibus fundatis solertes præfecissent advocatos ab exteris oris artifices: numerosiores in Provinciis exsiccari Paludes jussissent; arboresque in desertis & sterilibus terris conserendas.

Ad

Ad faciliorem mercium, rerumque omnium, quæ ad Commercium pertinent, inductionem & evectionem, tùm internam tùm externam, vias publicas in variis Palatinatibus quàm maximâ diligentiâ curavissent reparandas; pontesque, vel proverbio ridendos, non tolerassent. Non mediis nunc in campis incertus erraret viator; sed positis columnis viam in triviis indicantibus, vecturarum bono inserviissent, & peregrinantium.

Junctis prætereà à meridie & ab Oriente ad Vistulam usque fluminibus, facilem promptamque, & minùs dispendiosam procurassent importationem & evectionem. Ipsius etiam Vistulæ cursum hinc & inde vagantem, aquisque non raró plus æquo patentibus minùs tutum, injectis aggeribus, & purgato alveo aptum navigationi fecissent, & commodum.

Sic stabilitâ & determinatâ sapienter Regni Constitutione, selectis scilicet legibus, novisque conditis; sed præsertim *Omnipotenti firmatis auctoritate:* auctis, ut par erat, compositisque exercitibus: excultis, propagatisque litteris & artibus: restituto terrâ & aquis, tutoque commercio, illa Confæderatio in Comitiis Anni 1717. *inconsulto libero veto*, singulis BONI PUBLICI

partibus non minùs intenta, quàm asservandæ VERÆ LIBERTATI, de novo, ut ita dicam, fundasset gentem, cæterisque fecisset longe feliciorem.

Qualem si in Legislatione, si in Judiciis, si in Militia & Ærario, quatuor Summi Imperii partibus, Comitia illa Anni 1717. introduxissent Ordinem, jam à 40. annis & ampliùs in melius pergeret Respublica; dubiisque nunc totius Europæ rebus firmiorem ostenderet formam, & Gente digniorem.

Jubentibus enim Rege & Ordinibus, si quid mali imminuere videretur, Regni & Lithvaniæ Exercitus, Braniccio illo Comite, digno libertatis alumno, veræ magnitudinis Magistro & magnificentiæ, nostræque ætatis, ut verbo dicam, futuro Zamoyscio, si forent Zamoyscii tempora, & præpotenti Principe Radzivilio longâ ex Heroum stirpe, Supremis Ducibus, Poloni famam Nominis, & Reipublicæ jura non bello, non pace violanda declararent, aut vindicarent temerata.

Utinam tandem arguente necessitate, pro votis Optimi Regis, & humanissimi Principis, Salutem Patriæ in proximis Comitiis respiciant Ordines; eòque prudentiori animo & fortiori BONUM PUBLICUM

CUM aſserere tentent, quò ſæpiùs hucusque dixiſse incuſantur in Reipublicæ perniciem: *maneat noſtros ea cura Nepotes.*

Hæc omnia Reipublicæ vovenda, ſicut cætera quæ in illis Comitiis ſtatuta fuerant, non minùs ultrò reaſſumpſiſſent, & comprobaviſſent Anno ſequenti 1718. Grodnæ celebrata Comitia, *Salvo tamen in poſterum vetandi jure.* Sic libera quidem vox cujusque Civis perſtitiſſet; ſed præpotentibus undique legibus corroboratâ Reipublicæ ſalute, nihil in poſterùm fuiſſet ab illa metuendum.

In illis autem Grodnenſibus Comitiis generalis acta pacificationis confirmata ſunt; imperatâque Nobilitatis commotione in defendendæ Patriæ caſu, ſinguli Ordines ad Magnum Ruſſiæ Czarum ſcripſerunt, ut exercitus ſuos è Regno educeret.

Legatus quoque in Ruſſiam miſſus eſt Chomentovius, cujus curâ, occiſo Carolo XII in Friderici-Halli obſidione, induciisque ad futuram pacem cum Ulrica illius Sorore pactis, Ruſſiæ copiæ Anno 1720. revocatæ ſunt.

Jſta verò Comitia ſupradicto Anno 1718. convocata fuerant juxtà tractatum Varſavienſem, qui biennium ab Anno 1616. numerandum inſtauraverat. Sed cum præter

ter Conſtitutionis Anni 1717. approbationem, plurima alia ſtatuenda erant; ſub eodem Mareſchalco *Zawiſſa* iisdemque Nuntiis, propter rerum copiam limitata ſunt in proximum annum, ut Ordinibus anteà viſum erat Anno 1712.

Non feliciùs ſucceſſit ſecunda illa Comitiorum pars, indictâ à Rege die Anno 1719. incepta. Internis enim & externis factionibus, quatuordecim Nuntiorum proteſtatione & diſceſſu, vel ante Mareſchalci electionem irrita fuit. Unde obſervandum eſt quod licet Comitia Annorum 1712 & 1718. in duas partes limitata, ſuperiore tantùm integra fuerint, poſteriore verò abrupta, graviſſimas nihilominùs ſanxerint Conſtitutiones.

Meliorem exitum habuerunt Comitia Anni 1724. quæ Varſaviæ incæpta, Anno 1726. Grodnæ peracta ſunt; ita ut in unâquàque parte Conſtitutiones latæ fuerint & vigeant. In Grodnenſibus autem Comitiis res ſummi momenti agitata eſt, quam totam ab initio repetendam judicamus.

In tranſactione Gothardi Kettleri Enſiferorum Livoniæ Magiſtri cum Sigismundo Auguſto, duo diſtingvenda ſunt; totius ſcilicet Livoniæ ceſſio, & unio Curlan-

landiæ & Semigalliæ in casu deficientis virilis prolis in Kettleriana Domo. De prima parte actum est in pace Olivensi descripta. Livoniam enim hoc sibi fædere vindicaverant Sveci; sed post mortem Caroli XII, deperditis propè rebus, jure suo Moscis cesserunt Anno 1721.

Quod autem spectat in prædicto casu, ad unionem cum Poloniæ Regno duorum Ducatuum, quos sibi Kettlerus & stirpi suæ masculæ sub fiduciario titulo servaverat, magna hoc Anno 1726, Polonos inter & Curones contentio fuit.

Ex Gente enim Kettleriana solus superat Princeps Ferdinandus Nomine unum & LXX annum agens, & cælebs. Ut autem perpetuos Duces Curones sibi asserent, & ne Curlandia extincto Ferdinando in Polonæ Provinciæ formam redigeretur, novum sibi Ducem quærere constituerunt.

Propriâ igitur suâ auctoritate, neglectisque Poloniæ juribus, Mutaviæ habito conventu, Mauritium Comitem Saxoniæ, apud Gallos superioribus bellis celeberrimum, Filiumque Augusti II. naturalem collatis suffragiis elegerunt. Quod ægrè admodum ferentes Rex & Ordines, in Comitiis Grodnensibus irritam hanc declararunt

runt Ferdinandi Successoris Electionem; arctioremque fore decreverunt, post Ferdinandi fata, Curlandiæ & Semigalliæ cum Regno Poloniæ conjunctionem.

Quoniam autem diversarum partium studiis omnia ad nostram usque ætatem subsequentia Comitia perierint, præter generalem pacificationis Conventum Anno 1736; non ultrà pergam, nec incedere juvat per ignes doloso cineri suppositos. Hoc unum tantùm, quod palam est, annotabo. Ab annis propè 40. Consiliis orbatam publicis Rempublicam ingemescere. Sed ne quid statutum prætermisisse videar, ad Curones redeo; & eorum causam in Comitiis Anni 1736, & nostris temporibus considerabo.

Nequicquam, ut votis suorum non deesset, Matrimonium tentaverat Ferdinandus Anno 1730. ætatis suæ LXXV. Urgebat tremendæ unionis tempus, Lexque decem ante annos lata. Nihil igitur inexpertum reliquerunt Curones, ut legem illam tollerent.

Frustrà indicta fuerant Comitia ad Annum 1735; in illis nec Mareschalcus electus. Stante igitur sub *Poninscio* Mareschalco Confæderatione, (quæ ruptis Comitiis dissolvi non poterat,) Augustus III. Rex

Rex Magnum habuit Concilium, ut interreà securitati & paci publicæ provideret.

In illo autem Consilio Curonum præcibus, vel potiùs Annæ Russorum Augustæ officiis & commendationi datum est, ut vetera jura, vetusque regimen, abrogatâ Grodnensium Comitiorum lege, Curlandiæ & Semigalliæ servarentur. Quæ nova Lex specialiter in pacificationis Comitiis Anni 1636. confirmata est; permissumque Regi ab Ordinibus, ut superveniente Ferdinandi morte novo Duci Curlandiam Semigalliamque in feudum cum successionis jure in prole Mascula conferret.

Finitis his Comitiis intra 15. dies, ad Ordinum mentem Comitem *Tarlonem* Palatinum Sendomiriensem inter & Paulucium Summi Pontificis Nuntium res de Abbatiis conferendis confecta est.

Ecclesiasticarum enim Collatio Dignitatum sub Jagellonibus quàm maximos motus, vel etiam bellum cum Varmiensi Episcopo sub Casimiro IV, concitaverat. Non leviores posteà fuêre contentiones Summos inter Pontifices & Reges Sigismundum III, Joannem III., & Augustum II. de Abbatibus nominandis. Tandem suprâ dicto Anno 1736. Comes Tarlo Regis & Reipublicæ Legatus cum Papæ Nuntio

tio litem hanc diremit; duodecimque servatis Abbatiis Regio Patronatûs jure in *Commendam* distribuendis, cæteros Abbates à Monachis suis eligendos permisit: exquibus unum posteà Summus ultrò Pontifex Regiæ addidit nominationi.

Quam Pactionem ut *Rex* probaret, Fraustadij convenêre Senatores, & Consilium cum Rege habuerunt Anno 1737. Interim Gedani Ferdinandus Curlandiæ Dux mortuus est; & Curlandi vindicato sibi iterum electionis jure, in Conventu Mutaviensi Ernestum Comitem Bironium, Supremum Annæ Russorum Augustæ Cubiculi Præfectum, Ducem crearunt. Fraustadium posteà miserunt Legatum, qui novi Ducis electionem deferret, eamque à Rege comprobari exoraret.

Improbantibus licet admodùm Senatoribus, quod spreto Reipublicæ Imperio, eligendi Ducis jus sibi Curlandi arrogavissent; Rex tamen proprio motu pro facultate sibi ab Ordinibus anno superiore remissa, in Annæ gratiam, Bironio, ejusque stirpi virili, Ducatum in feudum per Diploma concessit. Ipse autem Bironius Dux, etsi vetante lege Anni 1683, per Legatum suum Finckium Varsaviæ Anno 1739. ad jus-jurandum admissus est. Sed brevi post

post tempore quò altiùs aſcenderat, eò graviùs Dux ille cecidit; amiſsâque Ruſſici Imperij adminiſtratione, in Siberiam cum totâ Familiâ Anno 1740. transvectus eſt, ibique adhuc detinetur.

Jam ab 18. annis abſque Duce ſuo Curones incerto fluctabant regimine eosque variis actos Anarchiæ calamitatibus futuri etiam mali timor exagitabat. Sed tandem Anno 1758. fauſtis undique ominibus, Gloriæ & Saluti ſuæ conſulentes, totam ſpem ſuam Regi & Reipublicæ permiſerunt. Publicâ igitur Legatione preces votaque ſua ad Regem detulêre, orantes ut afflictis rebus ſuis permotus Filium ſuum CAROLUM Poloniæ Regium, & Electoralis Saxoniæ Principem ſibi Ducem condonaret.

Quamobrem Rex convocatis Varſaviæ ad VII Jdus Novembres ejusdem Anni 1758 & conſultis Senatoribus; conſideratis attentè veris Reipublicæ Commodis & Juribus; perpensâ, integrâque ſervata Equeſtris Ordinis auctoritate; cæterisque omnibus ponderatis, quæ ponderanda erant, in commune bonum Curonibus annuendum Judicavit.

Quam igitur Legem juncti Ordines Anno 1736 unanimi ſtatuerant conſenſu exe-

exequendam Senatus-conſulto viſum eſt; melioribusque auſpiciis, quàm in Bironii Gratiam, filio ſuo XIV Kal. *Decem*. Anni ſupradicti 1758 Ducatûs conceſſionis AUGUSTUS diploma impertivit.

Solemni autem apparatu & Pompâ CAROLUS ille Regius & Electoralis Saxoniæ Princeps, juxtà Conſtitutionum normam, præſens & per ſe Regi & Reipublicæ fidem ſuam obſtrinxit, omnibusque ritè peractis VI Jdus Januarias ſuperioris anni Curoniæ & Semigalliæ DUX à Patre Rege inauguratus eſt. Mutaviæ tandem in Conventu generali poſtridiè nonas ſubſequentis Novembris ſubditos ſuos, obſequii & obedientiæ Sacramento, ſibi devinxit.

Felix RESPUBLICA quòd ſecundis adeò temporibus jura tandem ſua aſſervaverit; ancipitemq; vindicando Anni 1736. Legis ſortem, novum & inſigne Regi amoris ſui pignus, Exoptatiſſimum Curonibus Ducem, Digniſſimoque & redamatiſſimo Principi Thronum contulerit.

Felix utique AUGUSTUS, quod in tam gravi rerum ſerie, lætis & aſpirantibus Regni Ordinibus, totâ plaudente Europâ, obortisque præ gaudio lacrimis Curonibus dextram Regiam deoſculantibus, pro-

propriâ manu Filium ſuum Cariſſimum coronaverit.

Felicior denique Curonia quod nullo Duce, nullo ſtante Imperio, agitato undique ſtatu, graviorique indies futuro, tot abhinc annis Anarchiæ malis, ipſiusque vel Libertatis obvia diſcrimini, Ducem tanti Nominis, totque Dominationibus conſanguinitate & amicitiâ conjunctum à Rege & Republica obtinuerit Principem.

CONCLUSIO
OPERIS.

INtegram hucusque Reipublicæ Polonæ formam conſiderantes, ſucceſſivas illius oſtendimus vices, ab origine Gentis ad hunc annum decurrentem. Variam Regiæ poteſtatis, variam Senatûs, variam Equeſtris Ordinis diverſis temporibus ſortem notavimus. Libertatis indicavimus ortum; illiusque progreſſu celebrato & meridie, ne mole ſuâ præceps ad occaſum tenderet, in ipsâ Reipublicæ Conſtitutione, firmi ſapientisque Imperii quæſivimus leges, easque propoſuimus ſtabiliendas.

Quò pleniùs tota pateret publica adminiſtratio, viciſſitudoque Comitiorum, quatuor Summa Imperii expoſuimus partes *Legislationem* ſcilicet, *Judicia*, *Militiam*, & *Ærarium*; diverſasque uniuscujusque ſpecies deſcripſimus.

Poſteâ in BONI PUBLICI gratiam, Patriæ munia exaravimus & Dignitatem; neceſſitatem legum probavimus, earumque auctoritatis; veræ Libertatis naturam; ex armorum viribus certam Reipublicæ ſecuritatem; opulentam ubertatem Commercii; ſplendorem & decus litterarum, & omnia denique totius Societatis bona ſelectis vivisque coloribus depingere tentavimus & adumbrare.

Hiſtoriamque quoque Civilem aggreſsi & militarem, utriusque eventuum originem devolvimus & exitum; variosque caſus ad tempora ſua revocandos, & claro ordine in ſingulis iſtius diſsertationis partibus ſummâ curâ diſtribuendos ſtuduimus. Uno verbo quidquid ad detegendam Imperii Poloni ſpeciem inſervire viſum eſt, ubique ſelegimus, quàm diligentiſſimè fieri poterat.

Multò tamen faciliùs, fateor, multò uberiùs, & tutiùs Curſum meum abſolviſſem, ſi doctiſſimi & ſpectatiſſimi Viri DO-

GIELII è Scholis Piis jam Typis mandatus fuiſset *Codex Diplomaticus*. In illo enim fonte pleniſſimo, in illâ veraciſſimâ & accurratiſſimâ Collectione meam Monumentis publicis firmaſsem ſententiam, & opus meum exornaſsem. Nihil dubium, nihil obſcurum, aut contenſioſum, nihil conjecturis datum fuiſset; omnia vera, ſolidâque fundata auctoritate, & ad certiorem reducta forent temporum ſeriem.

Siquidem Vir ille Patriæ amantiſſimus, Konarſcii veſtigiis inhærens, indefatigato animo, incredibilique labore, per XV annos varias peragravit regiones; & quæ propè perierant penitùs neglecta, Juris Publici ampliſſima & primæva hinc & inde collegit documenta, ſagaciſſimâque mente in Ordinem redacta notis illuſtravit. Immaturâ morte extinctum ſcriptorem hunc lugent Muſæ. Lugeat & Polonia eruditum & optimum Civem, ſi quid Doctrinæ, veroque Patriæ amori impertiendum judicaverit.

Paucos ſola tanti ingenii Viros informat natura. *Sint Mæcenates*, aut *Jablonovii*, *non deerunt Marones*: ſed nulla alliciente ſpe exiſtimationis, nullâ propoſitâ laboribus æquâ mercede, torpeſcit & ſilet vel nativa virtus. Præmiis igitur, & nominis clari-

claritate DOGIELIOS, & ejusdem ſcientiæ, & ſtudii in Patriam Viros foveat Reſpublica, ſi publicam curat utilitatem.

Ex his autem omnibus, quæ ex antiquis & recentibus, ex Polonis & externis excerpſi auctoribus ad mentem meam colligendum eſt Poloniæ ſtatum, veram fuiſse Monarchiam hæreditariam & abſolutam per 786. annos à Lecho ad Caſimirum Magnum: ex Monarchia in Ariſtocratiam deflexiſse Regiam à Caſimiro Magno ad Caſimirum Jagellonem per 118 annos: & ſuperadditâ tandem Democratiâ, id eſt Equeſtris Ordinis auctoritate, ex tribus primævis & naturalibus Regiminis ſpeciebus à 306. annis conſtare à Caſimiro Jagellone ad Auguſtum III. nunc regnantem.

Diſtinctis igitur tribus Regni Poloni commutationibus, facilè dignoſcemus originem, progreſſum, & ſtatum actualem Comitiorum. Primò quidem ſub Monarchia nulla fuerunt Comitia propriè dicta; ſed tantùm aut *concurſus* Magnatum & Procerum ad Aulam jubente Rege; aut *tumultuoſi conventus* ad eligendum Principem Prole Regiâ extinctâ; aut denique *factioſæ turbæ* contra legitimum Regem, quales fuêre, quæ ſex Piaſtidas Reges è ſolio deturbarunt.

Sub

Sub Ariſtocratia verò Senatores Rege convocante legitimè convenerunt, ut de rebus publicis jure ſuo, à Regibus conceſso, cenſerent & ſtatuerent. Non jam Conſiliarij Regis, ſed Regni Coadjutores vocandi ſunt; & Comitia illa, quæ à Caſimiro Magno ad Caſimirum Jagellonem acta ſunt, *Congreſsus Senatorij* poſſunt nuncupari.

Sed ex quò Equeſter Ordo Imperij factus eſt particeps, tunc VERA COMITIA fuêre; in quibus à Caſimiro Jagellone ad noſtram usque ætatem, tota Natio per terreſtres Nuntios & Senatores repræſentata, ſub *Auſpiciis* & oculis Regis ſui de LIBERTATE, & BONO PUBLICO liberè egit, aut agere potuit & debuit.

Jtaque ſi victrici legum auctoritate, animoq; verè Patrio Cives in Comitiis conſultarent, Polonum Imperium cæteris Europæ antiquis & recentibus longè, nec immeritò, eſſet anteponendum. In illo enim arbitrariam Monarchiæ *poteſtatem* LIBERTAS refrenat; Senatorum *ſuperbiam* frangit ÆQUALITAS; & ſi legum jus condendarum, omnesqueque propè adminiſtrationis partes Equeſter Ordo ſibi retinuerit; quæ tamen leges in Nuntiorum Conclavi deſcribuntur, non niſi *Rege & Senatu approbantibus*, CONSTITUTIONIS vim obtinent. Sic triplex illa poteſtas, altera alteri ubique invigilans, ſe invicem coërcet, & in unum debet coire, ut communibus ſuffragiis adminiſtretur Respublica. Felix prorsùs & Regio & Natio, ſi cupiditatibus ſuis imperare humanæ naturæ concederetur.

Ut autem Polonæ libertatis Dignitatem ornatiori tabellâ exhibeam, qualis ſit in electione Regum ſuorum, ex Paſtorio non ſine alacritate perſcribam.

Electionis difficultas, quæ nobis objicitur, Gentis noſtræ & præcipuum ſolatium & ornamentum eſt. Non aliundè quippè illa naſcitur, quam quod apud nos, non una Dominantium Domus, cæteri ſervi; & quod pro arbitrio legimus Principem, non ex cunis acceptamus. Jactet electionem ſuam Romanum, quale hodie eſt, Imperium. Intrà ſeptem Capita illa conſiſtit: reliquis imponitur, ac ſi natus eſſet Dominus; ab aliena voluntate illum expectare coguntur. Sola Polonia aliis omnibus Regnis liberiore modo Principem eligit. Hic quot Equites, tot Electores; quot linguæ liberæ, tot Suffragia; & hæc non in Conclavi, ſed in Aprico; non in ſchedulis & tabellis, ſed vivis vocibus feruntur.

Talis

Talis eſt re verâ Polona libertas; ſed ſatis hucusque libertati datum. Servandæ potiùs quam augendæ invigilandum eſt. Nec jam limâ ſplendeſcit opus, ſed atteritur. Status enim naturalis, Status eſt belli. Nulla Societas ſine legibus; vanæ leges ſine auctoritate; nulla legum auctoritas ſine Summo Imperio. Quod ſi in Polonia irritis Comitiis cadat, tota moles corruat neceſse eſt.

Jam à Sigismundo I. Ordines Reipublicæ 70. vicibus convenerunt, & rebus infectis diſceſsêre. Ceſsante Imperio urget *Anarchia*, (extremum ex malis,) ſicut Stomacho laborante cætera membra langveſcunt.

Vigeat igitur unicum ſpecie illud LIBERUM VETO. Sed Gloriæ, ſed ſecuritati Patriæ, ſed communi Civium utilitati provideat; non verò obſcuris faveat & privatis commodis: tunc reſurget Respublica cæteris Gentibus invidenda,

Longiùs externo mihi non licet penetrare. Digniſſimos quidem Libertatis ſenſus referre potui, felicisque Imperij delineare Imaginem; non remedia decet proponere.

Quamobrem abſolutâ provinciâ, quam ſuſceperam de detegendis & diſtingvendis Comitiorum generibus, Hoc unum mihi gratiſſimo Corde, & verè propenſo in generoſam & Inclytiſſimam Gentem vovendum ſupereſt, ut quali induſtriâ, animique magnitudine libertatem ſuam conſtituerunt Poloni, pari ſelectas & in meliùs verſas Leges firment auctoritate, & ubique regnare jubeant; veroque cognito PUBLICO BONO, non minùs illi inſerviant in Comitiis, quàm LIBERTATI.

Serò reſpicitur tellus, ubi fune ſoluto,
Currit in immenſum panda carina ſalum.

TABULA GENERALIS
MILITIÆ POLONÆ
JUXTA CONSTITUTIONEM ANNI 1717.

Auctoramenti Poloni.

Species Copiarũ	*Varia Corpora*	*Variæ Divisiones*	*Turmæ*	*Milites*	Stipendium Militare	Summa Stipendiorum Auctoramenti Poloni
Equitatus Haftatus	Husari Turmæ Nr. 16 Equites Nr. 1000	Regis	4	265	Fl. 448	Fl. 2204280
		Principis Regii	4	245		
		Supremi Ducis	4	245		
		Ducis Campestris	4	245		
Equitatus Loricatus	Pancernæ Turmæ Nr. 77 Equites Nr. 3990	Regis	20	1050	Fl. 372	
		Principis Regii	19	980		
		Supremi Ducis	19	980		
		Ducis Campestris	19	980		
Equitatus Levior	Tartari Turmæ Nr. 14 Equites N. 1000	Regis	5	550	Fl. 272	
		Supremi Ducis	5	250		
		Ducis Campestris	4	200		
		Summa Militum Auctoramenti	107	5990		

Summa Militum Exercitûs Poloni utriusque Auctoramenti 17990

Auctoramenti Externi.

Species Copiarũ	*Varia Corpora*	*Divisiones*	*Legiones*	*Milites*	Stipendium Militare	Summa Stipendiorum Auctoramenti Externi
Equitatus externo habitu	Dragones Legiones Nr. 7 Equites Nr. 4000	Regis	1	1000	Fl. 300	Fl. 2800000
		Reginæ	1	500		
		Principis Regii	1	500		
		Supremi Ducis	1	500		
		Ducis Campestris	1	500		
		Privatorum	2	1000		
Peditatus Externo Habitu.	Pedites Legiones Nr. 6 Milites Nr. 7600	Regis	1	3000	Fl. 200	
		Reginæ	1	1000		
		Principis Regii	1	1000		
		Supremi Ducis	1	900		
		Ducis Campestris	1	850		
		Artilleriæ	1	850		
Leviores Copiæ	Hungari Cohortes 3 Milites 400	Utriusque Ducis & Supremi Mareschalci	Coh. 2 1	300 100	Fl. 200	
		Summa Militum Auctoramenti	16	12000		

Summa Stipendiorum Exercitûs Poloni utriusque Auctoramenti Fl. 5004280

TABULA GENERALIS
MILITIÆ LITHUANÆ
JUXTA CONSTITUTIONEM ANNI 1717.

Auctoramenti Poloni.

Species Copiarũ	*Varia Corpora*	*Divisiones*	*Turmæ*	*Milites*	Stipendia Militum	Summa Stipendiorum Auctoramenti Poloni
Equitatus Haftatus	Huffari Turmæ Nr. 6 Equites Nr. 400	Regis	1	100	Fl. 448	Fl. 816000
		Principis Regii	1	70		
		Supremi Ducis	1	70		
		Ducis Campestris	1	70		
		Privatorum	2	90		
Equitatus Loricatus	Petyori Turmæ Nr. 26 Equites Nr. 1200	Regis	1	80	Fl. 372	
		Principis Regii	1	80		
		Supremi Ducis	1	80		
		Ducis Campestris	1	80		
		Privatorum	22	880		
Equitatus Levior	Tartari	Privatorum	10	400	Fl. 272	
	Hungari	Privatorum	10	300		
		Summa Militum Auctoramenti	52	2300		

Summa Militum Exercitûs Lithuani utriusque Auctoramenti 6100

Auctoramenti Externi.

Species Copiarũ	*Varia Corpora*	*Divisiones*	*Legiones*	*Milites*	Stipendia Militum	Summa Stipendiorum Auctoramenti Externi
Equitatus Externo Habitu	Dragones Legiones Nr. 4 Equites Nr. 1500	Regis	1	600	Fl. 300	Fl. 910000
		Principis Regii	1	300		
		Supremi Ducis	1	300		
		Ducis Campestris	1	300		
Peditatus Externo Habitu	Pedites Legiones Nr. 3 Cohors Nr. 1 Milites Nr. 2000	Regis	1	1000	Fl. 200	
		Supremi Ducis	1	425		
		Ducis Campestris	1	425		
		Artilleriæ	1 Cohort	150		
Copiæ Leviores	Hungari & Janissarii Cohortes Nr. 3 Milites 300	Supremi Ducis	1	140	Fl. 200	
		Ducis Campestris	1	100		
		Supremi Cancellarii	1	60		
		Summa Militum Auctoramenti	Leg. 7 Coh. 4	3900		

Summa Stipendiorum Exercitûs Lithuani utriusque Auctoramenti Fl. 1726000

VI. TAB.

ÆRARIUM PUBLICUM

REIPUBLICÆ POLONÆ EX TRIBUTIS ET VECTIGALIBUS

CONSTITUTIONE ANNI 1717 CONFIRMATIS AUT DECRETIS.

In Regno — *Varia Tributa & Vectigalia*

	Species Tributorum	In Majori Polonia	In Minori Polonia	Species communis utrique Genti	Summa Tributorum
Capitatio	Palatinatuum	2000481 Fl. 16 gr.	1939995 : 28		
Capitatio	Pruſſiæ			311858 : 7	4472335 : 21
Capitatio	Judæorum			220000	
Quarta	Vetus	60720 : 3	87897 : 3		148617 : 6
Quarta	Nova	49324 : 11	68474 : 12		117798 : 23
Hybernæ	Bonorum Regiorum	326871 : 28	371679 : 27		
Hybernæ	Cleri Romani			346656 : 22	
Hybernæ	Cleri Græci			6741 : 2	
Hybernæ	Oeconomiæ Miepolanienſis			7640 : 5	1065655 : 17
Hybernæ	Occonomiæ Rozenicenſis			4066 : 07	
Hybernæ	Suburbani Petricovienſis			1988 : 26	
	Summa in utraque Gente Tributorum & Vectigalium	2437397 : 28	2468047 : 10	898961 : 29	5804497 : 7

Species Vectigalium & Summa

Ex quo tempore a tributis immunitatem Nobilibus & ipſorum bonis conceſſit Ludovicus annis 1355 & 1374, ſumma ſemper confuſio fuit in tributis ſciſcendis, imponendisque Vectigalibus. Inde amiſſæ ſæpiùs Provinciæ; inde clades cruentiſſimæ; inde non raræ Exercituum confœderationes, vel externis ipſis inſenſiores hoſtibus.

Tot tandem Poloni malis paulò ſibi meliùs conſulentes, theſaurum quendam confecerunt annò 1717 publicis longe imparem expenſis. Leviſſimo enim tunc conſcripto Exercitu, qui ſtativa conſtanter in finibus regni haberet, ſtipendia illius ex tributis jam enumeratis exſolvenda quotannis conſtituerunt. Sed de cæteris publici boni partibus æquo Ærario firmandis cogitaſſe nullatenùs videntur.

Ex tot autem Vectigalibus, aliisque modis quæ facile occurrebant, varias tantum merces, variosque potus conſpexêre. Quamobrem duobus iſtis articulis columnam hanc absque ullâ quidem rerum Explânatione adimplere me cogit neceſſitas.

Ex mercium intrà & extrà Regnum Commercio ſupremus Theſaurarius ſingulis annis numerat - - - 350000

Ex variis potulentis 58000

408000

In Magno Ducatu Lithuaniæ — *Tributa & Vectigalia.*

Species utrorumque — Summa Singularis & totalis

Iſta pars Publici Miniſterii non minùs in magno Ducatu quam in Regno occluditur, nec facilè poteſt explanari, varia enim variis temporibus tùm tributa tùm vectigalia impoſita ſunt; modò aucta modò imminuta; ſublata penitùs & iterum impoſita: Hæc ad mentem Conſtitutionum Regni, illa ad nutum particularem Gentis Lithuanæ ordinata.

Summi prætereà Regni & Ducatûs Theſaurarii Vacantia Regia occupant, & per interregna Regiæ etiam Menſæ adminiſtrant Bona. Vectigalia quoque ſigillatim aut collectivè ad arbitrium locant. Alternis tandem vicibus Livoniæ *tributa recipiunt; unde vix Publici Theſauri ſtatus dignoſci poteſt.*

Ea igitur hîc tantùm collegimus quæ in Conſtitutione anni 1717 ſubjacent oculis; Vectigaliumque indicabimus ſpeciem, non definiemus naturam. Nemo ſiquidem noſtrum hac in parte, nec in cæteris laborem ſublevavit, neque opem tulit inſudantibus. Aliunde Theſauri œconomia non ſatis accuratè legibus deſcribitur, nec illius adminiſtratio firmâ & ſecurâ circumſcripta eſt methodo.

Præcipuorum itaque tantùm Tributorum nomina & Vectigalium promiſcuè hîc referemus, & ſub emendatione & curâ Clariſſimi Viri STEINHAUSERII *S. R. M. a Conſiliis, rerumque Polonarum peritiſſimi, proventus illorum, in quantum fas eſt, annumerabimus.*

Species utrorumque	Summa Singularis & totalis
Vectigal ſeu Subſidium generale - - -	Fl. 200000
Auctio illius - - -	100000
Hybernæ - - - -	487661
Fumale - - - - -	927666 : 20
Capitatio Judæorum	60000
Potulenta - - - -	492300

Summa omnium Tributorum & Vectigalium in Regno - - - - - - - - - 6212407

1779966 : 20

VII. TAB.

RECENTIORES JURIS PUBLICI POLONI FONTES.

Fontes Juris Publici.	*Diplomata*	*Annus*	*Statuta*
Pacta Conventa	Henrici Valesii	1573	Asserta Jura, Libertas, & Libera Electio.
	Sigismundi III	1587	Cessio Livoniæ, & jus in summas Napolitanas promissa.
	Wladislai IV	1632	Nova & maximi ponderis Regi imposita.
	Augusti II	1697	Gravia & amplissima pro tempore aucta.
	Augusti III	1733	Totius Regiminis partes præscriptæ.
Varii Tractatus cum Exteris	*Fœdera*		*Conventa*
	Vilnensia sub Sigismundo II	1561	Subjectio Curlandiæ & Semigalliæ.
	Velaviensia sub Joanne Casimiro	1657	Prussiæ Ducatus *Supremus* declaratus.
	Olivensia sub Joanne Casimiro	1660	Suecis traditur Livonia transdunana.
	Moscovensia sub Joanne Sobiescio	1686	Russiæ & Poloniæ fines describuntur.
	Carolivicensia sub Augusto II	1699	Turcæ occupata Polonis restituunt.
Selectæ Constitutiones	*Leges Regnantibus*		*Constituta*
	Sigismundo II	1569	Junctio Ducatûs Lithuaniæ & Poloniæ.
	Stephano	1578	Erectio Supremi Regni tribunalis.
	Sigismundo III	1588	Modus de legibus ferendis decretus.
	Eodem Principe	1609	Casus non præstandæ regi obedientiæ.
	Eodem Principe	1611	Reformata Judicia dignitates Palatinatuum.
	Wladislao IV	1638	Æqualitas Juris & pœnæ inter Nobiles.
	Michaële	1673	Terna Comitia Grodnæ habenda.
	Joanne III	1690	Certa & optima Comitiorum ordinatio.
	Augusto II	1699	Pœnæ in corruptos Judices, & in Corruptores.
	Eodem Principe	1703	Confœderatio de tuendis Reg. & Reip. Juribus.
	Eodem Principe	1710	Concilium magnum de Militia & tributis.
	Eodem Principe	1712	Confirmatio Confœderationis & limitatio Ima.
	Eodem Principe	1717	Novus Exercitus: stipendium perpetuum.
	Eodem Principe	1718	Biennium repetitum. Confirmatio comitiorum anni 1717.
	Eodem Principe	1724	Judicium tumultûs Thorunensis.
	Eodem Principe	1726	Lex de Jungendâ Regno Curlandiâ.
	Augusto III	1736	Vetus Curlandiæ regimen restauratur, & novi Ducis inauguratio Regi permittitur.

TABULA PARTICULARIS
COMITIORUM
REIPUBLICÆ POLONÆ
SERENISSIMÆ.

Ordines Juncti	REX											
	Senatus										Equester ordo	
Tres Gentes	*Tituli Senatorum Diversæ Appellationis*										*Equites*	
	Prælati	Numerus	Palatini	Numerus	Castellani Majores	Numerus	Castellani Minores	Numerus	Supremi Ministri	Numerus	Nuntii terrestres	Numerus
Major Polonia	Primas Archiepiscopus Gnesnensis *Episcopi*: Posnaniensis Kujaviensis Plockensis Culmensis Varmiensis	6	Posnaniensis Kalisziensis Siradiensis Lencycensis Brestensis Inowroclawiensis Plockocensis Mazowiensis Rawensis Culmensis Mariburgensis Pomeraniensis	12	Posnaniensis Kaliszensis Gnesnensis Siradiensis Lencycensis Cujaviensis Inowroclawiensis Plockocensis Czerskensis Rawensis Culmensis Elbingensis	12	Miedzyzecensis Rogoznensis Strzemensis Przementzensis Krzywinensis Santokensis Lendanensis Nakłonensis Biechowensis Kaminensis Rosprzanensis Konaryensis Wielunensis Brzezinyensis Inowłodzensis Konaryensis Kruswicensis Kowalensis Konaryensis Bidgostensis Dobrzynensis Rypinensis Slonskensis Raciążensis Sierpskensis Warsoviensis Wyznanensis Wyszogrodensis Zachroczyniensis Ciechanowensis Liwensis Sochaczewensis Gostyninensis	34	Supremus Mareschalcus Regni Supremus Cancellarius Regni Procancellarius Regni Supremus Thesaurarius Regni Mareschalcus Curiæ	5	Posnanienses & Kaliszenses - - Siradienses - - - - Lencycenses - - - Brestenses & Inowroclavienses Plockonenses - - - Mazovienses - - - Rawenses - - - -	1 [illegible] 4 6 4 20 6 58
Minor Polonia	Archiepiscopus Leopoliensis *Episcopi*: Cracoviensis Kiowiensis Luceoriensis Kamieniecensis Premisliensis Chelmensis	7	Cast. Cracoviensis Pal. Cracoviensis Sendomiriensis Kioviensis Russiensis Wolhyniensis Podoliensis Lublinensis Belzensis Podlachiensis Braclawiensis Czernichowiensis	12	Woynicensis Sendomiriensis Kioviensis Leopoliensis Wolhyniensis Kamieniecensis Lublinensis Belzensis Podlachiensis Braclawiensis Czernichowiensis	11	Sandeczensis Bieczensis Oswiecimensis Wislicensis Radomensis Zawichostensis Zarnowensis Malagoszczensis Polaniecensis Czechowensis Premisliensis Haliczensis Sanokensis Chelmensis Lubaczowensis	15			Cracovienses - - - Zatorienses & Oswiecimenses - Sendomirienses - - Kiowienses - - - - Russici - - - - - Wolhynienses - - - Podolienses - - - - Lublinenses - - - Belzenses - - - - Podlachienses - - - Braclawienses - - - Czernichovienses - -	6 2 7 6 14 6 6 3 4 6 6 4 7c
Magnus Ducatus Lithuaniæ	*Episcopi*: Wilnensis Samogitiensis Smolenskensis Livoniensis	4	Pal. Wilnensis Cast. Wilnensis Pal. Trokicensis Cast. Trokicensis Cast. Samogitiensis Pal. Smolenskensis Polockensis Nowogrodiensis Witebskensis Brestensis Mscislawensis Minskensis Livoniensis	13	Trokicensis Samogitiensis Smolenskensis Polockensis Nowogrodiensis Witebskensis Brestensis Mscislawiensis Minskensis Livoniensis	10	Nulli Castellani Minores in Lithuania		Iidem numero & Pari dignitate in Magno Ducatu	5	Wilnenses - - - - Trokicenses - - - - Samogitienses - - - Smolenskenses - - - Polockenses - - - - Nowogrodienses - - Witebskenses - - - Brestenses - - - - Msczislavienses - - - Minskenses - - - . Livonienses - - - -	10 8 2 4 2 6 4 4 2 6 6 54
Summa Singulorum		17		37		33		49		10		182
Summa omnium Senatorum diversæ Appellationis								146				

Summa omnium Serenissimæ Reipublicæ Polonæ in Conciliis Consiliariorum, Nuntiis terrestribus Prussiæ non annumeratis 328

IX. TAB.

TABULA CHRONOLOGICA
PRÆCIPUORUM EUROPÆ DOMINANTIUM
POLONIÆ REGUM COÆVORUM AB ANNO 1350
SUB INEUNTE LIBERRTATE AD PRÆSENTEM ANNUM 1760
AD
PLENIOREM HISTORIÆ POLONÆ POLITICÆ INTELLIGENTIAM.

In Polonia	Initium Regnorum	In Germania	Initium Regnorum	In Gallia	Initium Regnorum	In Hiſpania	Initium Regnorum	In Anglia	Initium Regnorum	In Succia	Initium Regnorum	In Dania	Initium Regnorum	In Pruſſia	Initium Regnorum	In Ruſſia	Initium Regnorum	In Oriente	Initium Regnorum
Series Regum Europæ Coævorum ab anno 1350 *ad annum* 1400																			
Caſimirus Magnus Ludovicus Vladislaus II	1333 1370 1386	Carolus IV Venceslaus	1347 1378	Joannes Carolus V Carolus VI	1350 1364 1380	Petrus crudelis Henricus II Joannes I Henricus III	1347 1369 1379 1390	Eduardus III Richardus II Henricus IV	1326 1377 1399	Magnus III Albertus Margarita	1350 1376 1396	Valdemarus Olaus VI Margarita	1341 1375 1376	*Ex quo Conradus Maſoviæ Dux Crucigeros Equites anno 1230 in Pruſſiam acceſerat, Magnorum Teutonici ordinis Magiſtrorum Imperio ab annis 120 Pruſſia ſubjacebat. Henrico Kimpradienſi tunc Ordinem Regente, XIX Teutonicorum Magiſtro.*		*Moſci ab integris duobus ſæculis Tartarorum Imperio miſerum in modum ſubjacebant, cum Joannes Baſilii Cæci filius eos ab illâ vili & ſæva ſervitute vindicavit.*		Joannes Paleologus Manuel Paleologus	1351 1391
Series Regum Europæ Coævorum ab anno 1400 *ad annum* 1500																			
Vladislaus II Vladislaus III Caſimirus IV Joannes Albertus	1400 1434 1447 1492	Rupertus Sigismundus Albertus III Predericus III Maximllianus I	1400 1410 1438 1440 1493	Carolus VI Carolus VII Ludovicus XI Carolus VIII Ludovicus XII	1400 1422 1461 1483 1497	Henricus III Joannes II Henricus IV Ferdinandus V	1400 1406 1454 1474	Henricus IV Henricus V Henricus VI Eduardus IV Eduardus V Richardus II Henricus VII	1400 1414 1522 1461 1483 1483 1485	Margarita Ericus VIII Chriſtophorus Carolus VIII Chriſtianus I Slenoſturus Curator Joannes II	1400 1412 1441 1445 1457 1471 1497	Margarita Ericus Chriſtophorus Chriſtianus I Joannes	1400 1412 1445 1448 1482	*XVI* Supremi *Illius ordinis* Magiſtri, *quorum hic nomina referre vanum eſt, ab anno 1350 ad annum 1525 in Pruſſiâ regnaverunt.* *Hoc autem anno 1523* Albertus *Brandeburgicus*, Sigismundi I *Poloniæ Regis ex ſorore Nepos*, Dux fiduciarius *creatus eſt.*		Baſilius Cæcus Joannes I Baſilius III Joannes II	1400 1445 1489 1496	Manuel Paleologus Joannes VI Paleol. Conſtantinus Paleo. Mahometus II *capta Conſtantinopolis* Bajazetus II	1400 1424 1448 1453 1481
Series Regum Europæ Coævorum ab anno 1500 *ad annum* 1600																			
Joannes Albertus Alexander Sigismundus I Sigismundus II Henricus Valeſius StephanusBathoreus Sigismundus III	1500 1501 1507 1548 1573 1575 1587	Maximilianus I Carolus V Ferdinandus I Maximilianus II Rhodolphus II	1500 1519 1556 1564 1576	Ludovicus XII Franciſcus I Henricus II Franciſcus II Carolus IX Henricus III Henricus IV	1500 1515 1547 2559 1560 1574 1589	Ferdinandus V Carolus I Philippus II Philippus III	1500 1516 1557 1598	Henricus VII Henricus VIII Eduardus VI Maria Eliſabetha	1500 1509 1547 1553 1558	Joannes II Chriſtianus II Guſtavus I Ericus IX Joannes III Sigismundus I *Rex quoque Poloniæ*	1500 1504 1523 1560 1568 1594	Joannes Chriſtianus II Fredericus I Chriſtianus III Fredericus II Chriſtianus IV	1500 1513 1523 1534 1559 1588	Fredericus *Saxoniæ Dux & Magnus Teutonicorum* Magiſter - - - - - Albertus Brandeburgicus *XXXIV & ultimus Magiſter M. per 15 annos* Albertus idem *Dux creatus* Albertus Fredericus *ſub Pluribus Curatoribus per 49 annos* - - - - -	1500 1510 1525 1558	Joannes II Baſilius IV Joannes III Theodorus Borius	1500 1505 1533 1584 1598	Bajazetus II Selimus I Solimannus II Amurathus III Mahometus III	1500 1512 1520 1574 1595
Series Regum Europæ Coævorum ab anno 1600 *ad annum* 1700																			
Sigismundus III Vladislaus IV Joannes Caſimirus Michael Korybutus Joannes Sobieſcius III Auguſtus III	1600 1632 1648 1668 1674 1697	Rhodolphus II Mathias Ferdinandus II Ferdinandus III Leopoldus I	1600 1612 1619 1637 1657	Henricus IV Ludovicus XIII Ludovicus XIV	1600 1610 1643	Philippus III Philippus IV Carolus II	1600 1621 1665	Eliſabetha Jacobus I Carolus I Cromvellus *uſurpator* Carolus II Jacobus II Guilhelmus II	1600 1603 1625 1649 1685 1689	Carolus IX Guſtavus Adolphus Chriſtina Carolus X Carolus XI Carolus XII	1600 1611 1632 1654 1660 1697	Chriſtianus IV Fredericus III Chriſtianus V Fredericus IV	1600 1648 1670 1698	Albertus idem Fredericus Joannes Sigismundus *Elector Brandeburgicus* - Georgius Guilhelmus - Fredericus Guilhelmus Dux Supremus Pruſſiæ, *à Joan. Caſimiro declaratus anno 1657* Fredericus III Supremus Dux *tantùm* - - -	1600 1612 1619 1640 1689	Borius Demetrius Theodorus II Mich. Federowicus Alexius Theodorus III Joannes & Petrus	1600 1605 1606 1612 1645 1676 1682	Mahometus III Achmetus I Osmannus I Muſtaphatus I Amuratus IV Ibrahimus I Mahometus IV Solimannus III Achmetus II Muſtaphatus II	1600 1604 1617 1621 1628 1640 1648 1687 1690 1393
Series Regum Europæ Coævorum ab anno 1700 *ad annum* 1760																			
Auguſtus II Auguſtus III	1700 1733	Leopoldus I Joſephus I Carolus VI Carolus VII Franciſcus I	1700 1703 1711 1742 1745	Ludovicus XIV Ludovicus XV	1700 2715	Carolus II Philippus V Ferdinandus VI Carolus III	1700 1701 1746 1759	Guilhelmus II Anna Georgius I Georgius II	1700 1702 1714 1727	Carolus XII Fredericus I Adolphus Fredericus II	1700 1720 1751	Fredericus IV Chriſtianus VI Fredericus V	1700 1730 1746	Idem Fridericus I *Rex* Fredericus II Fredericus III	1701 1713 1740	Petrus I Catharina Petrus II Anna Joannes IV Eliſabetha	1700 1725 1727 1730 1740 1741	Muſtaphatus II Achmetus III Mahometus V Ottomannus III Muſtaphatus III	1700 1703 1730 1753 1757
Series Regum Europæ Regnantium hoc anno Decurrente 1760																			
Auguſtus III		Franciſcus I		Ludovicus XV		Carolus III		Georgius II		Adolphus Fredericus II		Fredericus V		Fredericus III		Eliſabetha I		Muſtaphatus III	

Toten

383